







1. Olearij, Gottfr. / Diss. de morte et vita  
fidelium cum Christo, Lipsiæ 1710.
2. Olearij, Joh. / Diss. de correptione  
Concionatoria, Lipsiæ 1689.
3. ——— / Diss. de Lacrimis Christi sub  
ingressum Hierosolymorum fufis,  
Lipsiæ 1683.
4. ——— / Diss. de resurrectione Spiritua,  
Lipsiæ 1698.
5. Oporini, Joach. / programma de demon-  
stratione Spiritus ac virtutis,  
Göttingæ 1738.
6. ——— / Diss. de usu Doct. simplicis,  
fatis contra scepticos, Göttingæ 1739.
7. Ortlob, Joh. Christoph. / Diss. de samue,  
a Judæo et propheta non pontifice,  
aut sacerdote sacrificante, Lipsiæ  
1719.
8. ——— / Diss. de pacto Davidis et Abneri  
contra Jebusetum, illicito, Lipsiæ 1709.



4  
DISPUTATIO THEOLOGICA  
DE  
**RESURRECTIONE  
SPIRITUALI,**

QUAM  
PERMISSU FACULTATIS SUMME REVERENDÆ  
IN

*IN ACADEMIA LIPSIENSI*

SUB PRÆSIDIO

**DN. JOHANNIS OLEARII,**

DOCTORIS ET PROFESSORIS THEOLOGI,  
PATRONI AC PRÆCEPTORIS SUI ÆTERNUM  
VENERANDI,

D. XXIX. NOVEMBR. ANNO MDCXCIIIX.

IN

AUDITORIO PAULINO

*AD PUBLICAM VENTILATIONEM PROPONIT*

**M. JO. GODOFREDUS RIEDELIUS,**

Glauchensis Misnicus.

---

LIPSIÆ,

RECUSA LITERIS SCHEDIANIS,

ANNO MDCCLXXV.





DISPUTATIO THEOLOGICA  
DE  
RESURRECTIONE  
SPIRITUALI,  
QUAM  
PERMISSA FACULTATIS SUAE REVERENDAE  
IN  
ACADEMIA MARISBURGENSI  
SUB PRÆSIDI  
DR. JOHANNIS OLFARII,  
DOCTORIS ET PROFESSORIS THEOLOGICI  
PUBLICE ACCEPTORIS SUB ALEXANDRO  
MAYRANNO  
D. XXII. NOV. EMER. ANNO. MDCCLXXII.  
IN  
AUDITORIUM PAULINUM  
AD PUBLICAM DEFENSIONEM PROPOSITAM  
M. JO. GODOFR. EDIS REIDELLIUS  
Glaschensches Minister.  
LITÆRÆ SCHREIBENSIS  
MDCCLXXII.







A & Ω

DISSERTATIO THEOLOGICA

DE

RESURRECTIONE SPIRITUALI.

§. I.

**R**esurrectio *Vi Vocis* est ejus quod cecidit erectio. Plenius Resurrectionis hoc Tertullianus *L. V. adversus Marcionem* edisserit: *Resurrectionis* Etymon. *Resurrectionis* vocabulum non aliam rem indicat, quam quae cecidit. Surgere enim potest dici, & quod omnino non cecidit quod semper retro jacuit. Resurgere autem non est, nisi ejus, quod cecidit. Iterum enim surgendo, quia cecidit, resurgere dicitur.

*RE* enim syllaba iterationi semper adhibetur. Graece ἀνάστασις quasi ἡ ἀνω στάσις, ἢ τοι ἐγχεσις, juxta Etymolog. Magn. Nam ut ἀνίσταμαι, quod optimæ docent Glossæ, idem est ac resurgo, exsurgo, nempe post lapsum, cubationem aut sessionem; ita ἀνάστασις vocatur hominis aut corporis jacentis erectio. Bene Autor Constit. Apost. *lib. V. c. 6. κειμένων ἐστὶν ἡ ἀνάστασις, ἢ χὶ δὲ μὴ ὑπαρχούτων.* Et Chrysostomus *Hom. XXXIX. in 2. Cor. ἀνάστασις τῆ πεπτωκότος λέγεται.* Optime Damascenus *lib. IV. L. de Orthodoxa fide c. 28. ἀνάστασις ἐστὶ δευτέρα τῆ πεπτωκότος στάσις, Resurrectio est ejus, quod ceciderat, iterata statio.*

§. II. Nomen Resurrectionis in Sacris literis accipitur tum proprie, tum figurate. *PROPRIA* significatio vel generalis est ac etymologica, vel magis usualis & specifica. *Generaliter* resurgere dicitur, qui prius vel casu cecidit, Jer. VIII. v. 4. *Num cadunt, ut non resurgant?* vel sponte accubuit aut consedit, Psal. CXXXIX. v. 2. *Domine, tu cognovisti sessionem & Resurrectionem meam.* *Specificè* corporum ex mortuis resuscitationem ac vitæ naturalis restitutionem significat. Vita enim vel uti quædam statio est; mors contra casus: ac proinde a morte revivifere est quasi denuo surgere. In qua notione Resurrectio est vel *SINGULARI*, LA-

A 2



LARIS, ipsius scilicet Christi, qui tertia die se ipsum resuscitavit virtute divina, cooperante etiam humana natura divina personaliter unita, Joh. II. v. 19. de qua vid. B. Gerhardi *Διάκονος. Theol. Part. II. Dissp. Acad. f. 1443. f. 99.* Vel PARTICULARIS, paucorum scilicet illorum, qui a Prophetis, Christo & Apostolis miraculose ad hanc vitam temporalem fuerunt resuscitati. V. gr. *Filii viduae Sareptana* 1. Reg. XVII, 22. *Cadaveris in sepulchro Elisai, contactis ossibus illius reviviscentis* 2. Reg. XIII, 21. *Filii Sunamitidis* cap. IV, v. 35. *Filie Principis Synagoga* Matth. IX, v. 25. *Filii viduae in Nain* Luc. VII, v. 15. *Lazari fratris Marthe* Joh. XI, 44. *Sanctorum illorum qui cum Christo resurrexerunt* Matth. XXVII, 52. 53. *Thabitha Joppen-*

6) Particulari

7) Universali

Figurata in  
sensu vel  
Metonymico

vel Synecdochico,

vel  
Metaphorico  
tergemino

pro  
a) Manifestatione  
divinae

β) Liberatione  
ex Periculis

§. III. FIGURATA vocis acceptio vel Metonymica est, vel Synecdochica, vel Metaphorica. *Metonymice* sumitur pro Autore Resurrectionis Christo Joh. XI, v. 25. *ἐγὼ εἶμι ἡ ἀνάστασις καὶ ἡ ζωὴ* i. e. non ipse solum resurgam & vivam, sed simul causa Resurrectionis & vitæ existo. *Synecdochice* & κατ' ἐξοχὴν pro Resurrectione ad vitam & gloriam æternam. Ita Christus de homine fideli Joh. VI, v. 4. καὶ ἀναστήσω αὐτὸν ἐγὼ, τῇ ἐσχάτῃ ἡμέρᾳ. Hæc Resurrectio Hebr. XI, 35. vocatur ἡ κρείττων ἀνάστασις, respectu scilicet impiorum, qui ad æternam resurgent poenam, uti locum hunc explicat Theophyl. *Metaphorice* trifariam accipitur, 1) Pro *Manifestatione Iræ ac Judicii Divini adversus Peccata* Zephan. III, 8. *Expectate me, dicit Dominus ad diem, qua resurgam ad spoliū.* Conf. Psal. XLIV, 24. Nam, ut DEUS dormire quidem dicitur ac requiescere, cum poenas impiorum differt, ac pios sub cruce laborare permittit, ita ex adverso resurgere, quando vindictam exercet adversus Ecclesiæ persecutores, piis vero auxilium & defensionem præstat. 2.) Pro *Liberatione ex Cal-*



DE RESURRECTIONE SPIRITUALI. §

*laminatibus ac Periculis.* Hæc enim ut mortis nomine aliquando veniunt Exod. XII, 17. Rom. VIII, 10. 2. Cor. I, 10. ita ex opposito, liberatio inde facta, Resurrectio appellatur. Sic impii de pio Psal. XLI, 9. *Quando jacuerit, non resurget, i. e. si semel eum deprefferimus, & grandi infortunio involverimus, non patiemur ipsum hinc eluctari.* Conf. Esa. XXIV, 20 c. XXVI, 14. Amos, V, 2. c. VIII, 40. 3) Pro RESURRECTIONE SPIRITUALI, per quam a morte peccatorum ad vitam æternæ gratiæ resuscitatur Col. II, v. 12. c. III, 1. Ephes. II, 6. &c. &c. quæ signifi- catio hujus loci.

§. IV. RATIO DENOMINATIONIS quoad terminum utrum- que plana. RESURRECTIO dicitur, quia, ut Theodorus Balsamo Patriarcha Antiochenus in epistolam Nysseni ad Letorium scribit, est quædam a lapsu in peccatum resuscitatio (ἡ ἐκ τῆς πλῆματος τῆς ἀμαρτίας ἀνάστασις) Peccantem enim a peccato abstinere est resurgere a lapsu, quo peccator lapsus est. Huc pertinet illud B. Gerhardi Medit. Sacr. LI. 360. α) Resurrectio. Omnem Resurrectionem præcedit mors, quia non resurgit, nisi quod cecidit. Ita quoque res se habet in Spirituali Resurrectione. Non resurgit in te Christus, nisi prius Adam in te moriatur: Non resurgit homo interior, nisi sepeliatur prius exterior: non prodibit novitas spiritus, nisi prius abscondatur vetustas carnis. Deinde Spirituallis appellatur ratione α) Causæ Efficientis, quia proficitur a Spiritu S. cui & peculiari qualis- dam ratione appropriari solet. β) Termini a quo & ad quem quod per illam quis resurgat a morte spirituali ad vitam spiritualem. γ) Mod- di quo peragitur, non carnalis, sed Spiritualis. δ) Subjecti, quod spi- ritus, sive anima hominis, non caro est. ε) Effectus, dum homines facit vere spirituales.

§. V. Stylo Biblico & Ecclesiastico appellatur hæc Resurrectio I. VIVIFICATIO, quæ homo peccator, h. e. in peccatis spiritualiter mortuus incipit spiritualiter vivere. Ita Paulus ad Eph. II, 5. *Etiā nos, cum in peccatis mortui essemus (ὄνεζωοποίησ τῷ χριστῷ) una vivificavit cum Christo.* Conf. Col. II, v. 13. *Quidam, inquit Joh. Grotius ad h. l. interpretantur de vivificatione in persona Christi, quæ Deus a juve mortis æternæ ac potestate Satanae nos liberavit; alii de spe Resuscitati- nis ad vitam æternam in fine seculi; alii de spirituali vivificatione, quæ interior noster homo per Spiritum Christi vivificatur; quidam conjungunt. Nos cum Sebastiano Schmidio Comment. in Epist. ad Col. f. 152. existima-*



Regeneratio,

mus, Apostolum immediate respexisse vivificationem nostram spiritualem, ex qua etiam spes & jus ad vitam æternam sequitur. Loquitur enim in præterito, ac de tali mutatione, per quam Ephesi & Collossenses non amplius ut olim sint mortui in peccatis. Atqui olim erant spiritualiter in peccatis suis mortui, cum reatu quidem æternæ mortis, nondum tamen morti æternæ traditi. Ergo contra jam sunt vivificati spiritualiter cum spe & jure ad vitam æternam. II. REGENERATIO, qua homo spiritualiter mortuus ex morte spiritali renascitur ad vitam spiritualem. Ita Petrus I, Ep. c. I. v. 3. *Deus regenuit nos in spem vivam per resurrectionem Jesu Christi ex mortuis.* Conf. Tit. III. v. 5. & Joh. III. v. 5. Rationem hujus appellationis Chrysostomus *Caten. in Cap. III. Job. f. 86.* hanc reddidit, quoniam is, qui a morte resurgit (*ἀνδρὶς γενέσθαι*) denuo nasci videtur. Hinc & Veteres Resurrectionem Christi vocarunt *ἀναγέννησις*. Ita Cyrillus Hierosolymitanus *Orat. de Simeone Tom. XIII. Biblioth. Patr. f. 853.* *Christus die post Regenerationem ex mortuis (τῆς ἐκ νεκρῶν ἀναγέννησις)* quadragesimo in supernam Hierosolyman ascendit. Quid quod Resurrectionem corporum nostrorum Salvator ipse vocet *παλιγγενεσίαν* Matth. XIX, 28. qua fideles exuti mortalitatem ac induiti immortalitatem, I. Cor. XV, 53. 54. ita regenerandi sunt, ut conformentur glorioso corpori Christi Phil. III. v. 21. Bene Augustinus *Lib. XX. de Civ. Dei c. V.* *Mortuorum resurrectionem procul dubio nomine Regenerationis voluit intelligi: sic enim caro nostra regenerabitur per incorruptionem, quemadmodum est anima nostra regenerata per fidem.* Et Cap. VI. *Due sunt Regenerationes, una secundum fidem, que nunc fit per Baptismum; alia secundum carnem, que fiet in ejus incorruptione, atque immortalitate per judicium magnum atque novissimum.* III. CONVERSIO AD DEUM. Ut enim peccare est in via Domini labi, & peccatum est *παρὰ νόμον*, sic a peccatis ad Deum converti est resurgere, & conversio est quædam Resurrectio. Innuit hoc Jeremias c. VIII, 4. *nunquid cadens non resurget?* Hæc est *πρότασις*, infimili, cui statim *ἀπόδοσις* exegetica subjungitur: *nunquid avertetur quis & non convertetur?* Et Simeon ap. Luc. II, 34. de Christo: *Hic positus est in ruinam & Resurrectionem multorum in Israhel, i. e. qui hunc lapidem angularem in Sion positum vera fide apprehendunt, eique innituntur, illi possunt ex luto peccati & mortis, in quo hærent, per veram conversionem sese erigere, qui vero lapidem illum apprehendere nolunt, sed sibi videntur stare, & contra Christum*

3.  
Conversio,



sum te extollunt, in coecitatem & exitium semper iterum tue. e. IV) CRE-  
 ATIO NOVA, Ephes. II, 10. *ipsum sumus opus creati in Christo Jesu ad ope-* 4. Creatio nova  
*ra bona, quæ Deus preparavit, ut in illis ambulemus.* Est enim Resurre-  
 ctio Spiritualis ex parte Dei spectata, non minoris virtutis opus, quam ipsa  
 creatio. Huc digitum intendit Apostolus ad Col. II, 12. *Cum Christo sus-*  
*citati estis, per fidem efficacia illius virtutis Dei, qui suscitavit eum ex mor-*  
*tuis.* Hinc etiam Theophylactus Comment. ad Gal. c. VI, 15. f. 494.  
*Nova creatura est (ἡ νέα κτίσις τοῦ Θεοῦ) vita secundum Christum: Propter-*  
*ea quod nunc anima nostra, inveterata peccato, sunt renovata per Baptismum.*  
 V) RESURRECTIO PRIMA, respectu scilicet Resurrectionis corpo- 5.  
 rum in die novissimo secuturæ. Quæ appellatio ex Apoc. XX, 6. juxta com- Resurrectio  
 munem interpretationem loci, videtur esse desumpta. Unde Augustinus *Lib. prima.*  
*XX. de Civ. Dei c. VI. Resurrectiones duæ sunt. Una PRIMA, quæ nunc est,*  
*& animarum est, quæ venire non permittit in mortem secundam: alia SECUN-*  
*DA, quæ nunc non est, sed in seculi fine futura est, nec animarum, sed corporum*  
*est, quæ per ultimum iudicium alios mittet in secundam mortem, alios in eam*  
*vitam, quæ non habet mortem.* Quid de hac Resurrectione prima cum  
 Chiliasmis veteribus itauerit Apollinaris, docet Epiphanius, *Heres.*  
*LXXVII. Tom. I. Opp. Edit. Petav. & Basilus Magnus Epist. LXXIV.*  
*Tom. III. Edit. Paris.* Quod operosus hic discutere institui nostri  
 non fert ratio. Conf. Augustinum, *l. c. cap. IX. VI) RESURRECTIO MEN-* 6.  
*TIS vel ANIMÆ.* Ita enim Tertullianus de *Resurr. Carn. cap. XXVIII.* Resurrectio  
*Nec sustinebo dicentes, idcirco tunc (temporis, quo Dominus de capulis* mentis.  
*mortuos resuscitabit) Resurrectionem Animæ soli destinatam; Resur-*  
*rectionem in carnem quoque præcurrisse, quia non potuisset aliter osten-*  
*di Resurrectio Animæ invisibilis, nisi per invisibilis substantiæ Resuscita-*  
*tionem, Isidorus Pelusiota Lib. V. Epist. 179. vocat ἀνάστασις τῆς ψυ-*  
*χῆς τῶν ἀναγνῶντων νεκροῦντων, Conf. Augustin. loco paulo ante cita-*  
*to. Posset enim dici VII) RESURRECTIO AD VITAM GRATIÆ.* 7.  
 Nam uti vita distinguitur in naturalem & spiritualem, hæc autem in vitam Resurrectio ad  
 gratiæ & gloriæ; sic & Resurrectio alia datur ad vitam gratiæ seu spiri- vitam gratiæ.  
 tualem, quæ præsentis, alia ad vitam gloriæ seu æternam, quæ futuri seculi  
 est. Et denique VIII) RESURRECTIO MYSTICA. Siquidem myste- 8.  
 rium regenerationis, & hanc insequentis justificationis ac renovationis, Resurrectio  
 Resurrectio ista complectitur. Sane quod Apostolus de Unione Christi mystica.  
 & Ecclesiæ dicit Eph. V, 32. τὸ μυστήριον τῆτο μέγα, idem etiam de Re-  
 surrectione



surrectione (spirituali, sine qua unio mystica fieri nequit, jure meritoque dicere possumus.

Distinctio  
ratione subje-  
ctorum  
in  
α) Inchoatam

§ VI. Resurrectio Spiritualis tot appellationibus illustris ratione *SUBJECTORUM*, quibus inest, distingui potest in inchoatam, continuatam, & reiteratam. (1.) *INCHOATA* infidelium est seu non renatorum & extra Ecclesiae pomeria constitutorum, sive Judæorum, sive Gentilium, de qua Paulus Ephes. II, 5. 6. *Cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos, (Judæos & Gentiles) Deus in Christo, & convalescitavit.* Conf. Col. II, 13. Ad hanc respicit Christus, Joh. V, 25. 26. *Amen, amen, dico vobis, adventat tempus, & nunc est, cum mortui audient vocem Filii Dei, & qui audierint, vivent.* De Resurrectione spirituali hic loqui Salvatore patet ex v. 28. in quo Resuscitationem corporum ceu novum missionis suæ argumentum profert, ac ipse quasi rem digito demonstrat v. 25. cum dicit, *& nunc est hora.* Observavit hoc jam olim Augustinus Lib. XX. de Civ. Dei c. VI. *Nondum, inquit, de secunda Resurrectione i. e. corporum loquitur, quæ in fine futura est, sed de prima quæ nunc est.* Hanc quippe ut distingueret, ait: *Venit hora, & nunc est. Non autem ista corporum, sed animarum Resurrectio nunc est.* Dicit autem Christus, *venisse horam*, quia res promissa erat, *& nunc esse*, quia promissionis aderat impletio, quoad Gentes æque ac Judæos. Promissio facta esse videtur tum in typo visionis de ossibus arefactis, sed in vitam restitutis Ezech. XXXVII, 1-14. tum in vaticinio Esaia c. XXVI, 19. Confidenter hoc affirmat Joh. Lightfootus Hor. Hebr. ad loc. Job. Edit. Lips. f. 103. *Expectarunt Judæi Resurrectionem mortuorum in adventu Messie, & vere quidem & summa cum ratione. Et resuscitati quidem sunt non pauci Sanctorum cum resurgente Christo Matth. XXVII, 52. At scripturas istas, quæ resurrectionem mortuorum in adventu ejus innuunt, ego absque omni dubitatione intellexim, non tam de iis, quam de resurrectione Ethnicorum a morte sua spirituali in ignorantia, idololatria, & peccatis, ad lucem & vitam Evangelii. Nec ossa ista Ezechielis arefacta ad vitam revocata, de reductione tribuum Israelis & captivitate sua (quamvis esto quod ea includatur) quin potius, aut saltem simul de resuscitatione Israelis Dei, h. e. crediturorum Gentilium etiam a morte sua spirituali.*

β) Continua-  
tam.

(2.) *CONTINUATA* sive Renatorum stantium, atque jam per fidem in Christum justificatorum, nihij aliud est, quam carnis quotidiana mortificatio, & spiritus vivificatio, sive assidua gratiæ Spiritus S. quæ in fidelibus est, resuscitatio. Diserte hanc tradit Apostolus, & my-  
stica



itica interpretatione Resurrectionis Christi illustrat Rom. VI, 1. -- 13. *Quid*  
*igitur dicemus? permanebimus in peccato, ut gratia auctior fiat? Absit, qui*  
*mortui sumus peccato, quomodo adhuc vivemus in eo? An ignoratis, nos,*  
*quotquot baptizati sumus in Christum Jesum, in mortem ejus esse baptizatos?*  
*Consepulti sumus igitur ei per baptismum in mortem: ut sicut suscitatus est*  
*Christus ex mortuis in gloriam Patris, ita & nos in nova vita ambulemus.*  
*Nam si cum eo plantati coaluimus assimilatione mortis ejus, nimirum*  
*etiam resurrectionis assimilatione cum eo coalescemus. Illud scientes*  
*veterem istum nostrum hominem cum eo crucifixum esse, ut aboleatur*  
*corpus peccati, ne nos amplius serviamus peccato. Quod si commortui si-*  
*mus Christo, credimus fore, ut etiam ipsi convivamus. Ut qui sciamus Chri-*  
*stum suscitatum ex mortuis non amplius mori, mortem, inquam, ei non am-*  
*plius dominari. Nam quod mortuus est, peccatum mortuus est semel, quod autem*  
*vivit, vivit Deo. Ita etiam vos colligite, vos tum mortuos esse peccato, tum*  
*vero vivere Deo per Christum Jesum Dominum nostrum. Ne regnato igitur*  
*peccatum in mortali vestro corpore, ut auscultetis ei in cupiditatibus corpo-*  
*ris, neque sistite membra vestra arma injustitiae peccato, sed sistite vos Deo, ut*  
*ex mortuis vivos, & membra vestra arma justitiae. Conf. Col. III, 1. 2. 3. (3)*  
 REITERATA seu REASSUMTA Renatorum est in peccata contra con- 7) Reitera-  
 scientiam, sive ex *πρόσθεσι* relapsorum, & per veram ac seriam poeniten-  
 tiam vicissim ad Deum & vitam justitiae assurgentium. Hanc Deus ipse a  
 contrario insinuat apud Jeremiam c. II, 4. 5. Num cadunt, ut non resur-  
 gant? num avertuntur, ut non revertantur? *Quare ergo avertit se populus*  
*hic? Hierosolyma aversa perpetuat? Retinent dolum, renuunt reverti.*  
 Nimirum comparatio instituitur ab impari, cujus *πρόσθεσι* v. 4. habetur:  
 annon hæc est natura hominum, ut si quis illorum cadat, resurgat, adeo  
 ut qui secus facit, malitiose perdere seipsum cupiat? *Ἀπόδοσι* autem v.  
 5. proponitur, ita ut discrimen maximum ostendatur, dum dicitur, quod  
 rebellis Israel in peccati foveam subinde prolabatur, nec tamen cogitet  
 de eo, ut ex mortis spiritualis fovea resurgat. Hinc apparet, in membro  
 antecedente lapsum hominis, cui resurrectio proprie dicta; in conse-  
 quente lapsum metaphoricum peccati, cui Resurrectio Spiritualis a morte  
 peccati opponitur, intelligi. vid. Seb. Schmidium *Comm. ad h. l. f. 315. 316.*  
 De eadem resurrectione loquitur Apostolus Ephes. V, 14. *Quapropter dicit*  
*(Esaïas LX. v. 1.) excitare, qui dormis, & resurge a mortuis, & illucescet ti-*  
*bi Christus. Locum Prov. XXIV, 16. Septies cadit Justus & resurgit: per-*  
*peram huc refert Flacius Part. II. Clav. Script. fol. 1066. occasionem sic*  
 B  
 præ-



præbens improvide Socinianorum approbationibus, ac si pulvillos supponamus hominibus carnalibus, quo minus detestentur peccatum, docendo, quod vel *septies in die cadat*, h. e. in peccata proteretica prolabatur, etiam justus seu per fidem in Christum justificatus, qui justum potius ipso opere se præbere debebat, in novitate vitæ sincere ambulando, peccatis voluntariis masculæ resistendo: cum tamen annotante B. Geiero *Comm. ad h. l. fol. 1287. sqq.* mens ea Theologorum orthodoxorum non sit, qui hanc interpretationem, de justo prolapsu in peccata contra conscientiam, non paucis Papistarum & Calvinianorum vitio vertant, eamque refutant, tum ex scopo, tum ex oppositione ruinæ piorum & impiorum, tum ex Usu verbi *כִּי* & sequente mox versu 17. tum ex LL. parallelis Psal. XXXIV, 20. XXXVII, 24, Job. V, 19. Unde quilibet colligere possit Salomonem hic loqui de *prolapsu justi in omnis generis infortunia*, v. gr. in tentationes spirituales, in pauperiem, in decrementum rei familiaris, in morbos, in obrektiones calumniarum, in persecutiones, ac felici ejus ex istis malis resurrectione.

Ratione sui sumitur sensu strictiori pro sola Conversione,

vel Justificatione,

§. VII. Ratione SUI spectata Resurrectio Spiritualis sumitur in sensu vel strictiori, vel laxiori. *Strictè* notatur per eam (α) CONVERSIO, seu REGENERATIO, qua vires supernaturales, per quas spiritualiter vivere incipimus, nobis a Deo primum conferuntur, v. g. Ephes. II, 5. *Etiā nos, cum in peccatis mortui essemus, una vivificavit in Christo, unaque suscitavit.* Col. II, 12. *Per baptismum Christo confepulti, & cum eo suscitati estis per fidem, efficacis illius virtutis Dei.* I. Pet. I, 3. *Deus regnavit nos in spem vivam per Resurrectionem Jesu Christi ex mortuis.* (β) JUSTIFICATIO, qua ex æterna morte injustitiæ nostræ & iræ divinæ ad vitam gratiæ & justitiæ æternæ resurgimus. De hac passim Apostolus ex Hab. II, 4. *Justus ex vite vivet*, Rom. I, 17. c. III, 20. Gal. III, 12. Heb. X, 38. Præprimis autem Col. II, 13. *vosque mortuos in peccatis & præputio carnis vestra cum eo vivificavit, nobis condonatis omnibus offensis.* Conf. Rom. IV, 24. 25. Phil. III, 9. IO. II. Annotavit hoc etiam Formula Conc. in *Solid. Declar. Art. III. f. 686.* *Quin etiam vivificationis vocabulum (Resurrectionis Spiritualis Synonymum) interdum ita accipitur, ut remissionem peccatorum notet. Cum enim homo per fidem (quam quidem solus Spiritus S. operatur) justificatur, id ipsum revera est quedam regeneratio (sive Resurrectio) quia ex filio iræ fit filius Dei, & hoc modo e morte in vitam transferitur, sicut scriptum est: vosque mortuos in peccatis cum eo vivificavit, &*



*justus ex fide sua vivet.* (γ) **LIBERATIO A LEGE**, qua non amplius sub lege, vel Liberatione sumus vel Ceremoniali vel Morali: ratione tum maledictionis, tum rigida a Lege, exactiois, sed sub gratia, v. g. Rom. VII, 4. *Itaque Fratres mei & vos mortificati estis legi per corpus Christi, ut sitis alterius, qui ex mortuis resurrexit.* Gal. II, 19. Ego autem per <sup>is</sup>em legem mortuus sum, ut Deo vivam: Christo confixus sum cruci. <sup>II, 14.</sup> Et vos mortuos in peccatis vivificavit, delcto, quod adversum vos erat, chirographo in dogmatibus: quod erat nobis sub contrarium, <sup>17<sup>e</sup></sup> vero cruci affixum e medio sustulit, v. 20. Itaque si mortui estis cum <sup>Christo</sup> adverso ab elementis mundi, quid ut viventes in mundo ritibus <sup>enervati</sup>? (δ) **RENOVATIO** seu **SANCTIFICATIO**, Rom. VI, <sup>Renovatio.</sup> 4. 5. 6. *Consepulti sumus ei per baptismum, in mortem: ut, sicuti suscitatus est Christus ex mortuis in gloriam Patris, ita & nos in nova vita ambulemus.* Num si cum eo plantati, coaluimus assimilatione morti, ejus, nimirum etiam resurrectionis assimilatione cum eo coalescimus. Illud scientes, veterem illum nostrum hominem cum eo crucifixum esse, ut aboleatur corpus peccati. v. 13. *Sistite vos Deo ut ex mortuis vivos.* 2. Cor. IV. v. 15. *Pro omnibus mortuus est Christus, ut qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est ac resurrexit.* Col. III, 1, 2, 3. *Itaque, si resurrexistis cum Christo, superna querite, ubi Christus est, ad dextram Dei sedens: Superna curate, non terrestria.* Nam mortui estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. It. v. 5. 7. 8. 9. 10. *Mortificate igitur membra vestra terrestria, scortationem, impuritatem, mollitiam, cupiditatem malam, & avaritiam: quibus in vitiis & vos ambulastis quondam, cum in iis viveretis. At nunc deponite etiam vos haec omnia, iram, exandescentiam, malitiam, maledicentiam, verborum obsecantiam ab ore vestro. Ne mentimini alii adversus alium, cum exiti sitis illo veteri homine cum factis ipsius: & induti sitis novo illo, qui renovatur in agnitionem congruentem imagini ejus, qui ipsum condidit.* I. Pet. II, 24. *Christus portavit peccata nostra in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui justitia vivamus.* In sensu ergo **Latiore** Spiritualis Resurrectio & tum **Latiore**, Regenerationem, & Justificationem, & Liberationem a Lege, & Renova- pro Regenera- tionem, sive totum **Officium** Spiritus S. completitur, quo homo in pec- catione, Justifica- tionis, Justifica- tionis & c. simul. catis mortuus non tantum incipit spiritualiter vivere, sed & in vita gratiae conservatur, alitur, augetur, cujus terminus est vita gloriae: Ut **Loquitur** B. Danhauerus *Hodosoph. Phen. IX. f. 922.*

§. VIII. Et hinc fit, ut etiam Resurrectio Spiritualis conside- Er hinc confi- rari possit vel transitive. vel intransitive. *Transitive* sumta est actio derari potest. Spi- vel Transitive.



Spiritus S. quavis ex mera gratia propter Christum mediāntibus verbo & sacramentis hominem in peccatis mortuum, sed contumaciter non repugnantem ex morte peccati ad vitam gratiæ resuscitat, h. e. regenerat, justificat, a legis exactioe liberat, sanctificat, & sic novis supernaturalibus viribus ex parte intellectus & voluntatis donat, quo Christum Salvatorem suum agnoscere, ejusque merito justificatus, & a legis maledictione liberatus, ceu nova creatura in novitate vitæ ambulare possit. Retur-  
 vel intransitive reſcitiō *Intransitive* sic dicta subdividitur in passivam & activam.  
 & quidem nunc *Passiva* illa est, qua homo in principio vivificationis se mere passive  
 Passive, negative se gerit, quatenus non repugnat morose, (naturaliter enim omni-  
 nunc Active, no repugnat Rom. VIII, 7. 8.) quæ absentia repugnantia malitiosæ eni-  
 neficium prævenientis gratiæ. *Activa*, qua homo virtute Dei vivificatus  
 a morte peccati per fidem in Christum se rursus erigit, & ita Christi meri-  
 to a legis accusatione, a reatu, & dominio peccati liberatus, viribusque  
 novis ad vitam spiritualem tum inchoandam tum consummandam suffici-  
 enter instructus non sibi sed Christo vivit, & ut nova creatura in novitate  
 vitæ incedit. *Transitive ac Passive* spectata proprie dicitur Re-  
 suscitatio & vivificatio; *Intransitive* autem & *Active* nomen Resurre-  
 ctionis retinet. *Priori* modo sumitur Ephes. II, 5. Col. II, 13. I. Pet. I, 3. *Pos-  
 teriori* Joh. V, 25. 26. Rom. VI, 1. --- 13. 2. Cor. V, 15. Ephes. V, 14. Col. II,  
 12. c. III, 1. 2. 3. 5. 7. 8. 9. 10. I. Pet. II, 24.

τὸ ὄν  
 Resurrectionis in sacra Scriptura maxime fundatum esse nemo non intelligit. Circa  
 spiritualis, ubi hoc autem jam olim quidam in *Defectu* peccarunt, alii in *Excessu*.  
 peccatur. De illis Augustinus L. XX. de Civ. Dei cap. X. *Sunt qui putant Resurrectionem  
 a) in defectu. dici non posse nisi corporum, ideo istam quoque in corporibus primam futuram  
 a Milliaris ve- esse contendunt. Quorum enim est, inquit, cadere, eorum est resurgere.  
 scribus, Cadunt autem corpora moriendo: nam & a cadendo cadavera nuncupan-  
 tur. Non ergo animarum, inquit, resurrectio potest esse sed corporum.  
 Procul dubio loquitur de Miliaris seu Chiliaſtis veteribus, contra quos  
 præcedentibus quinque Capitibus disputaverat. Innuat hoc ipse Au-  
 gustinus c. VII. *Qui primam Resurrectionem futuram suspicati sunt cor-  
 poralem, inter cetera maxime numero annorum mille permoti sunt, tan-  
 quam oporteret in sanctis eo modo, velut tanti temporis fieri sabbatissimum,  
 vacatione scilicet sancta post labores annorum sex millium, ex quo creatus est  
 homo,**



homo, & magni illius peccati merito in hujus mortalitatis arumnas de Paradisi felicitate dimissus est, ut, quoniam scriptum: Unus dies apud Dominum sicut mille anni, & mille anni sicut dies unus, sex annorum millibus tanquam sex diebus impletis, sequatur velut sabbati septimus in anni mille postremis, ad hoc sabbatum celebrandum resurgentibus Sanctis. Quæ opinio esset utcumque tolerabilis, si aliqua delicie spirituales in illi sabbato assurræ sanctis per Domini præsentiam crederentur. Nam etiam nos hoc opinati fuimus aliquando. Sed cum eos, qui tunc resurrexerint, dicant immoderatissimis carnalibus epulis vacaturos, in quibus cibus sit tantus ac potus, ut non solum nullam modestiam teneant, sed admodum quoque ipsius incredulitatis excedant, nullo modo ista possunt a carnalibus credi. Hi autem, qui Spirituales sunt, isto ipse credentes ἡδυστατος appellant Græco vocabulo, quod Verbum verbo exprimentes nos possumus Militarios nuncupare. Egregie autem Spirituales Resurrectionis veritatem adversus eos, qui putant, resurrectionem ad sola corpora, non etiam ad animas pertinere, vindicaturus his verbis respondet: Sed quid contra Apostolum dicunt, qui eam resurrectionem appellat? Nam secundum interiorem, non secundum exteriorem hominem utique resurrexerant, quibus ait: si confurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt sapite. Quem sensum verbis aliis alibi posuit dicens: Ut quemadmodum Christus a mortuis resurrexit per gloriam Patris, sic & nos in novitate vitæ ambulemus. Hinc est illud: surge, qui dormis, & exurge a mortuis, & illuminabit te Christus. Quod autem dicunt: non posse resurgere nisi qui cadunt; & ideo putant resurrectionem ad corpora, non ad animas pertinere, quia corporum est cadere, cur non audiunt: non recedatis ab illo, ne cadatis. Et, suo Domino stat, aut cadit: & qui putat se stare, videat ne cadat. Puto enim, quod in anima non in corpore casus iste cavendus est. Si igitur cadentium est resurrectio, cadunt autem & anime, profecto & animas resurgere consistendum est. Huc pertinent, quæ leguntur apud eundem Hipponensem Præsulem c. VI. Non ista corporum sed animarum est (Resurrectio) Habent enim & anime mortem suam in impietate atque peccatis, secundum quam mortem mortuæ sunt. De quibus idem Dominus ait: sine mortuos sepelire mortuos suos: Ut scilicet in anima mortui in corpore mortuos sepelirent. Propter istos ergo in impietate & iniquitate in anima mortuos: Venit, inquit, hora, & nunc est, quando mortui audient vocem Filii Dei, & qui audierint, vivent. Qui audierint, dixit, i. e. qui obedierint, qui crediderint, & usque in finem perseverave-



veraverint. Nec fecit hic ullam differentiam bonorum & malorum. Omnibus enim bonum est, audire vocem ejus, & vivere, & ad vitam pietatis ex impietatis morte transire. De qua morte ait Apostolus, Ergo omnes mortuisunt, & pro omnibus mortuus est unus, ut qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est & resurrexit. Omnes itaque mortui sunt in peccatis, nemine prorsus excepto, sive in originalibus sive etiam voluntate additis, vel ignorando, vel sciendo, nec faciendo quod justum est. Et pro omnibus mortuis vivus mortuus est unus, id est nullo modo non sibi vivant, sed ei, qui pro omnibus mortuus est propter peccata nostra, & resurrexit propter justitiam nostram, ut credentes in eum qui justificat impium, ex impietate justificati tanquam ex morte vivificati ad Primam resurrectionem, que nunc est, animarum pertinere possimus. Ad hanc enim primam qui non pertinent, beati non erunt in eternum.

§) in Excessu  
ab Hymenæo  
& Phileto,

§. X. In EXCESSU peccarunt, qui nullam resurrectionem agnoscebant præter spiritualem, ac propterea dicebant, eam jam tempore Apostolorum esse factam, cum scilicet gentes per prædicationem Evangelii ad Deum & fidem in Christum fuissent conversæ. Quam sententiam Hymenæo & Phileto, (quos Paulus 2. Tim. II, 18. τὴν ἀνάστασιν ἢ ἡ γερυσίαν asseruisse scribit) expresse tribuit Augustinus (ut aliorum expositiones nunc taceam) Nonnulli enim, scribit, attendentes verba, que assidue dicit Apostolus: quia & mortui sumus cum Christo, & resurreximus cum eo: nec intelligentes quatenus dicatur, arbitrati sunt, jam factam esse Resurrectionem, nec ullam ulterius in fine temporum esse sperandam. Ex quibus est Hymenæus & Philetus. Conf. B. Lutherum Postill. Eccles. Part. II. Fer. IV. Pasch. Edit. Witteb. 1584. f. 27. a. Ad Hymenæi & Phileti nugæ proxime accedebant Archontici, qui teste Epiphanio Lib. I. contra Hæres. Tom. III. Hæres. XL. docuerunt μὴ εἶναι σαρκὸς ἀνάστασιν, ἀλλὰ μόνου ψυχῆς. De Marcione autem idem Epiphanius refert, Hæres. XLII. ψυχῆς ἀνάστασιν εἶναι ἢ ζωὴν ἢ σωτηρίαν μόνως λέγει τὴν τῆς σαρκὸς δὲ ἀδελφῆ ἀνάστασιν. Eodem modo sentit etiam Hierax, ut iterum videre est apud Epiphanium Hæres. LXVII. Idem error fuit Originis & asseclarum ejus, ut docet Photius Epist. I. f. 12. Quorum Hæreticorum sententiam plenius edidit Tertullianus de Resurr. carn. cap. XIX. Nacti enim quidam solemnissimam eloquii Prophetici formam, allegorici & figurati, plerumque, non tamen semper, resurrectionem quoque

Archonticis

Marcione,

Hierax,  
Origine,



mortuorum manifeste annunciatam in imaginariam significationem distorquent, asseverantes ipsam etiam mortem spiritualiter intelligendam. Non enim hanc esse in vero, quæ sit in medio discidium carnis atque animæ, sed ignorantiam Dei, per quam homo mortuus Deo, non minus in errore jacuerit, quam in sepulchro. Itaque & resurrectionem eam vindicandam, quæ quis addita veritate redanimatus & revivificatus Deo, ignorantia morte discursa, velut de sepulchro veteris hominis eruperit: quia & Dominus Scribarum & Phariseos sepulchris adaquaverit. Exinde ergo, resurrectionem fide consecutor, cum Domino esse, quum cum in baptismo induerint. Hoc denique ingenio etiam in colloquiis sepe nostros decipere consuevit: quasi & ipsi resurrectionem admittant. *Væ*, inquit, qui non in hac carne resurrexit: ne statim illos percutiant, si resurrectionem abnuerint. Tacite autem, secundum conscientiam suam, hoc sentiunt, *Væ* qui non, dum in carne est, cognoverit arcana hereticæ: hoc est enim apud illos resurrectio. Sed & plerique ab excessu animæ resurrectionem vindicantes, de sepulchro exire, de seculo evadere interpretantur: quia & seculum mortuorum sit habitaculum, id est, ignorantium Deum: vel etiam de ipso corpore, quia & corpus vice sepulchri, conclusam animam in secularis vitæ morte detineat. Hos deinde refutat prolixè per cap. XX. XXI. XXII. ac tandem c. XXIII: spirituales resurrectionem ita tenendam ac fide amplectendam esse inculcat, ut altera, quæ carnis est, resurrectio non abnegetur.

§. XI. Jam porro CAUSAS Resurrectionis spiritualis tum Ex-  
ternas tum Internas rimabimur. *Causa Agens*  
Causa principaliter AGENS, *Principalis.*  
& opus supernaturale conferendæ vitæ spiritualis, virtute propria eaque  
infinita perficiens solus DEUS est, qui uti corporaliter, sic & spiritualiter *Deus Trin-*  
mortuos vivificat. Probatur hoc dictis & rationibus. *Deus.* *Trinus.*  
Prius extat Rom. IV, 17. *Abraham est Pater omnium nostrum coram eo,*  
*cui credidit, DEO scilicet vivificante mortuos & vocante quæ non sunt tan-*  
*quam sint.* Sensum totius dicti dilucide proponit B. Calvovius *Annot.*  
*in N. T. Tom. II. f. 84. Fides Abrahæ promissionem de Isaac oru ac-*  
*ceptantis regeat in promissionem de semine benedicto & benedictionem*  
*soci mundo allaturo respexit, ut cujus vere etiam illi, qui in peccatis mortui*  
*sunt, vivificantur, & qui non sunt filii Dei & hæredes vitæ, sed ab ea hæredi-*  
*tate ob peccatum excluduntur, ut tales, vocantur, quod regenerationis &*  
*justificationis opus non minus sunt est potentia & gratia divini opus, quam*  
*erat fecundatio Abrahæ & Saræ, ipsumque creationis opus, in quæ proprie*  
*vocavit.*



vocavit Deus τὴ μὴ ὄντα ὡς ὄντα, a qua proprietate vocum facile non descendendum. Posterius est ex Ephes. II, 4. 5. 6. Deus, qui dives est misericordia, etiam nos, cum in peccatis mortui essemus, una vivificavit, cum Christo, unaque suscitavit. De quo loco in doctrina de causa movente pluribus. Hic indicasse sufficit, in eo fundamentum Resurrectionis spiritualis & causam efficientem principalem exprimi, DEUM scilicet ἀλόσιον ὄντα ἐν ἐλέει. Rationes desumuntur (α) ab *Attributo vitæ Dei essentialis*, Nam ut in Deo vita est ἡ ζωὴ Joh. I, 4. Sic & vitæ omnis sive naturalis sive spiritualis fons causa & origo constituitur, Gen. II, 7. Deut. XXX, 20. Ps. XXXVI, 10. Aët. XVII, 18. I. Pet. I, 23. Bene Flacius Part. I. *Clav. Script. f. 1321.* Deus crebro admodum dicitur vivus (Deut. V, 6. Job. III, 10. Ps. IV, 23. Jer. X, 2. & 10. I. Tim. IV, 10. Heb. X, 31. I. Pet. I, 23. Apoc. XV, 7.) ut ostendatur per excellentiam Solus vere vivere, cujus respectu alia omnia quasi mortua sunt: Solus etiam omnium vitæ auctor esse: & denique filius Spiritualem ac æternam vitam dare. (β) a *Resuscitatione gloriosa*. Qui enim resuscitabit olim corpora fidelium ad vitam gloriæ, idem nunc eorum animas resuscitat ad vitam gratiæ: quia resurrectio gloriosa est fructus & effectus resurrectionis gratiosæ. Deus autem qui suscitavit Christum ex mortuis, vivificabit etiam mortalia corpora nostra Rom. VIII, 11. Ergo & nunc in peccatis mortuas animas nostras ad vitam Spiritualem resuscitat.

in Specie  
Pater.

Filius.

Spiritus S.

§. XII. Cum autem Resuscitatio Spiritualis sit opus ad extra & terminetur ad effectum intra hominem realiter productum per potentiam tribus personis communem; hinc PATRI, FILIO & SPIRITUI S. in S. Literis eam tribui videas, servato tamen earum ordine, ut in subsistendo, ita & in agendo. PATER igitur *habet vitam in seipso* Joh. V, 24. homines in peccatis mortuos resuscitat, ut fons & origo omnium actionum divinarum, & sic etiam resuscitationis Spiritualis. Unde Petrus. I. Ep. 1. 3. *Benedictus esto Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi, qui regnavit nos in spem vivam.* Sicut autem Pater suscitavit (Spiritualiter) mortuos & vivificat; ita & FILIUS quos vult, vivificat, (Joh. V, 21. Quæcumque enim ille facit, (τὰ ὅσα) hæc etiam Filius (ὡσαύτως) pariter facit ibi 2. 19. & sicut Pater habet vitam in seipso, sic dedit & Filio habere vitam in seipso. v. 26. Nec ab hoc opere excluditur SPIRITUS S. Ita enim Paulus Rom. IIX, 1. *Si Christus in vobis est, corpus quidem mortuum est, propter peccatum, Spiritus autem vita est* (vitam vobis tribuit ac vivere vos facit



facit propter iustitiam. Et v. u. Si spiritus egus, qui suscitavit Jesum ex mortuis, habitat in vobis: is qui excitavit Christum ex mortuis vivificabit etiam mortalia corpora vestra per inhabitantem ipsius Spiritum in vobis. Ad hæc Balduinus sic commentatur f. 149. Renati sunt quidem morti & calamitatibus obnoxii propter peccatum in ipsis adhuc hærens, habent tamen ipsi Spiritum S. in se habitantem, qui, si modo ipsi non destinata pertinacia obicem posuerint, sed ad ductum Spiritus S. ambulaverint, vitam in ipsis spiritualem subinde conservabit, desiderii peccati resisset, & tandem ad sempiternam vitam æterna felicitatis custodiet. Nimirum ex eo quod Christus in nobis habitat per fidem Eph. III, 17. corpus quidem mortuum h. e. morti subiectum propter peccatum, vitam tamen Spiritus S. largitur propter iustitiam Christi, quæ per fidem imputatur, ita ut corpus etiam per inhabitantem Spiritum, hac Spirituali vita fruatur, & aliquando ad vitam æternam sic resuscitandum. Huc spectant nomina Spiritus S. quæ illi ob hoc opus vivificationis in Codice Biblico & a SS. Patribus attribuantur; vocatur enim πνευματικὸς Θεὸς Rom. IX, 2. Intelligitur autem τὸ ζωοποιῶν πνεῦμα Spiritus vivificans, ut Theodoretus explicat. Quod nomen etiam de eo usurpat Chrylostomus Hom. XXXIII, in Acta. Idem Hom. CXIIX. Spiritum S. vocat ζωαρχικὸν Φῶς, Lumen quod est vitæ principium, quia per eum regeneramur ad novam vitam. Patres etiam Constantinopolitani, ut habet Photius Epist. I. f. 7. eundem appellant ζωαρχικὸν πνεῦμα, Spiritum vitæ autorem principalem, annotante Svicero. P. I. Thef. Eccles. f. 1300.

§. XIII. Singularem vero quadam ratione & influentia, CHRISTO & Singularem Resuscitationis Spiritualis opus tribuitur, utpote qui ratione Christi  
 μονοτέλετος est Servator noster, nec tantum meritorie (uti mox videbimus) sed etiam efficienter nos a morte Spirituali resuscitat. Licet enim Christus ut sacerdos & ratione meriti sui pertineat ad causam προνοιας αεχικὴν sive moventem externam Resuscitationis, tamen ut Propheta & Rex noster audiat, etiam causæ efficientis Principalis partes tuetur. Siquidem ut PROPHETA nobis, mediante ministerio verbi, beneficium istud offerri & annunciari curat juxta illud Apostoli 2. Tim. I, 9. 10. Gratia quidem data est nobis in Christo, Jesu ante tempora Seculorum: sed facta nunc est manifesta per illustrem illum adventum Servatoris nostri Jesu Christi, qui & mortem (utramque primam & secundam) abolevit, & vitam (spiritualem in hoc seculo, per quam a morte peccatorum revivif-

C

ci-



&amp; Rex

idque secundum  
utramque naturam

cius) & incorruptibilitatem (vitæ coelestis in futuro seculo) in lucem produxit per Evangelium. Ut REX idem nobis applicat per Verbum & Sacramenta, ad quæ Spiritus sui Sancti efficaciam confert, & sic a morte peccati nos actu liberatos vita spiritali donat, eamque conservat & auget, idque secundum naturam non modo Divinam ex virtute vivificandi, sibi per æternam generationem; sed & Humanam ex eadem virtute per unionem hypostaticam communicata. In officio enim Christi Prophetico & Regio utraque natura agit quod suum est, sed cum communicatione alterius; Divina hic est principium quo formale & originale; Humana organicum, ex virtute non propria sed divina per unionem personalem sibi communicata agens. Innuit hoc Christus Joh. V, 25. 26. 27. Amen, amen dico vobis, adventat tempus, & nunc est, cum (spiritaliter) mortui audient vocem filii Dei (ἐν σάρτει) & qui (sive immediate sive mediate in verbo) audierint, (ex morte peccati suscitati) vivent. Sicut enim Pater habet vitam in seipso, sic dedit Filio (per æternam generationem) habere vitam in seipso. Et auctoritatem ei dedit, (in tempore, ut vivificandi, ita) etiam iudicium exercendi, quatenus Filius hominis est. Idem de seipso dicit Joh. XI, 25. ἐγὼ εἰμι ἡ ἀνάστασις καὶ ἡ ζωὴ ἰ. e. (Chrysofomo Hom. XXVII, in Matth. interprete) non expecto ut ab alio mihi potestas (excitandi mortuos) conferatur, sed ὁμοῦς πάντα ἐργάζομαι) a me ipso cuncta efficere possum. Quod autem Resurrectionis non modo corporalis ad gloriam, sed & spiritalis ad gratiam hic Auctorem se constituit Christus, explicatio statim subjecta v. 25. 26. evincit: qui credit in me, vivet, & omnis qui vivit & credit in me, non morietur in æternum.

Causa Motiva

Interna Bonitas &amp; Misericordia Dei

§. XIV. Causa Impulsiva, qua Deus commotus non miseros & in peccatis mortuos homines non perire, sed ex morte peccati in vitam spiritualem revocare voluit, est vel interna vel externa. Interna est BONITAS seu MISERICORDIA, & gratuitus Dei FAVOR. Probatur testimoniis Principum Apostolorum (α) Pauli Ephes. II, 4. 5. Deus, qui dives est in misericordia, propter multam caritatem suam, qua dilexit nos, cum essemus mortui per delicta, convivificavit nos cum Christo. Quando Deum ἐν ἐλέει καὶ ἔσφι λέγει dicit, alludit ad illud Ex. XXXIV, v. 6. Magnus benignitate & veritate. Est autem Deus misericordia dives tum intensæ, quia divitiæ illius imensæ sunt. Tanta enim Dei misericordia, quantum ipse Syrac. II, 23. tum extensivæ, quia ad omnes se extendit ejus



ejus misericordia Prov. XI, v. 32. Joh. III, 16. tum *durative*, quia ad æternitatem sese porrigit, nec ullum finem habet. *Dives est misericordia*: quia erga immeritos mere gratuita, erga merito damnandos mirabiliter gratiosa, erga multis infirmitatibus obnoxios cum magna *μακροθυμία* conjuncta & ἀμειλίχης est Rom. II, 4. XI, 29. *Dilectionem autem qua Deus nos primus* (1. Joh IV, 10.) *dilexit*, vocat *αγάπην*, *multam, nimiam, magnam*. Et si enim per se clarum, immensam esse Dei charitatem, quia ὁ Θεὸς ἀγάπῃ ἐστίν, 1. Joh. IV, 8. hac tamen voce lubens utitur Apostolus, ut ad caritatis erga nos divinæ magnitudinem considerandam animos excitet, alias nimis segnes & tardos ad id digne æstimandum: quod non tantum Scriptura passim commendat, sed & re ipsa testatur. Testatur autem imprimis caritatis magnitudinem nostra conditio, in qua constitutus nos Deus dilexit. Ista enim, quæ hic memorat, non dilectionem, sed iram, & extremum supplicium merentur. Dilexit enim τὸς νεκροὺς τοῖς παρῶνταιμασι, i. e. tales, qui in seipsis erant spiritualiter enecti veneno & reatu peccatorum, adeoque prorsus inepti ad quicquam boni faciendum, quo mererentur diligi, imo ex se dignissimi qui perderentur. Neque hæc dilectio Dei per dogma satisfactionis Christi et medio tollitur, uti blaterant Sociniani, Ostorodus c. *Tradel. Part. III. c. I. f. 21.* & Crellius de *satisfact. cap. i. f. 33.* Confundunt enim dilectionem Dei *universalem*, de qua hic Apostolo sermo est, cum *speciali*. Universalis dilectio est causa meriti Christi, meritum autem & satisfactio Christi est causa dilectionis specialis, *scilicet enim Deus dilexit* (universaliter) *mundum, ut filium suum daret in mortem* Joh. III, 16. Traditio ergo filii in mortem est effectus dilectionis Universalis, speciali autem dilectione Deus credentes in Christum, adeoque jam sibi morte Christi reconciliatos peculiariter complectitur. De qua Paulus Eph. I, 6. *Gratos nos fecit sibi in dilecto Filio suo*. Verbo: Dilectio universalis mortuis in peccato hominibus Vivificatorem ordinavit Rom. V, 8. Specialis vivificatos per mortem Vivificatoris comprehendit v. 10. Quod satisfactione nondum præstita voluerit nos mortuos vivificare, testatur filii missio, sed, quia salva justitia non poterat, necessario intervenit mors Christi satisfactoria. Dicitur hæc ἀγάπη mox v. 5. *χάρις gratia*, & v. 7 *πλεῖτος ὑπερβάλλων τῆς χάριτος supereminens opulencia Gratia*. Per gratiam enim intelligit Gratiam commiserationis primæ & paternæ dilectionis; qua Deus clementissime respexit miseros peccatotes, eosque a communi miseria

universalis illa  
non Specialis,



eripere constituit; siue gratitum Dei favorem, qui Deum ab aeterno movit, ut consilium de hominibus in Adamo lapsis, in Christo ad vitam spiritualem reparandis, susciperet. Vocatur etiam, *χρηστότης καὶ Φιλανθρωπία* Tit. III, 4. nec non *σπλάγγνα ἐλέος θεῶ* Luc. I, 78. *ὀικτιρῆμος* Rom. XII, 1. 2. Cor. 1. 3. (β) *Petri*. I. Ep. 1. 3. ubi dicitur Deus κατὰ τὸ πολὺ αὐτῷ ἔλεος, secundum multam misericordiam suam nos regemisse. Quo ipso respicitur ad illud Davidis Pl. LI, 3. petentis, ut Deus sui misereatur, sibi que peccata remittat secundum multitudinem miserationem suarum. Siquidem regeneratio illa spiritualem vivificationem, & peccatorum nostrorum, quæ multa & magna sunt, remissionem includit. Syrus h. l. utitur voce  $\int 2 \eta$ , quæ ostendit misericordiam illam esse mere gratitam, quæ non habeat respectum ad nostra merita, sed ex favore Dei gratuito dependeat, sicut pulcherrime Beda in h. l. commentatur: *Cum nostris meritis generati essemus ad mortem, sua misericordia nos regeneravit ad vitam.* Magna igitur hæc Dei nos regenerantis misericordia vocatur, respectu habito tum ad Deum ipsum, qui magnus & infinitus, tum ad nostram miseriam, in quam per peccata incideramus, tum ad regenerationis fructum & effectum, qui est peccatorum remissio, justitiæ Christi imputatio, translatio ex statu iræ in statum gratiæ, *ὁμοθυμία* & vitæ æternæ hereditas; tum ad alia Dei beneficia corporalia & temporalia, vide Gerhardum *Comment. ad h. l. f. 46. 47.*

Externa Meritoria:

Mors Christi Satisfactoria.

§. XV. Causa movens *Externa* distingui solet in non meritoriam & meritoriam. *Illæ* est hominum in peccatis mortuorum *Miseria* Eph. II, 5. Col. II, 13. quæ Deum ad collationem vitæ spiritualis mover, non *ἰνεργητικῶς efficienter sed ἀφορητικῶς* occasione non data, sed misericorditer accepta. *Hæc* autem est Christi Servatoris (I) *Mors Satisfactoria*. Ita enim Paulus Rom. VI, 4. *Vos quoque mortificati estis Legi in corpore Christi, ut sitis alterius, ejus videlicet, qui ex mortuis suscitatus est, ut fructus feramus Deo.* Ad quæ verba nervose Seb. Schmidius in *Pharaphr. Lat.* quæ accessit ejus *Commentationib. in Epist. ad Coloss. f. 267.* Inter vos & inter legem mors aliqua intervenit, eaque legi sic satisfaciens, ut licet peccatum adhuc habeatis, Lex amplius vos condemnare nequeat propter eandem satisfactionem, qua pro isthoc etiam peccato iam satisfactum est, & vos a condemnatione legis liberati. Si queritis, quæ hæc mors satisfaciendo interveniens sit? dicam: *Mors Christi vel corporis Christi est, h. e. quam Christus Redemptor in corpore suo pro nobis sustulit.* Nimirum, quan-



quando in Christum creditis, ita mors corporis ejus satisfactoria vobis coram Deo imputatur, quasi vos ipsi mortui essetis, ac legi pro debitis vestris satisfecissetis. Unde revera, quantum ad iudicium Dei attinet, post imputationem istam factam, dici suo isthoc modo potest, quod vos mortui stitis & moriendo satisfeceritis legi. Paulo  $\delta\mu\acute{o}\psi\eta\Phi\omicron\varsigma$  est Petrus I. Ep. II, 24. Christus portavit peccata nostra in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui iustitie vivamus. Dum igitur Christus per mortem crucis ignominiosissimam in corpus suum transtulit maledictionem totius mundi peccatis debitam, & sic actionem, qua lex poterat acculare universum genus humanum, sustulit e medio, delens chirographum legis contrarium sanguine suo, affigens illud cruci Col II, 12. hoc ipso liberati sumus a maledictione legis Gal. III, 13. & sic legi mortui Deo vivimus Christo confixo in cruce Col. II, 19. (2) Vivificatio & Resuscitatio ex Mortuis facta per reductionem animæ cum corpore: quæ non tam gradus exaltationis, quam Conditio prerequisite est, disponens subjectum exaltandum ad recipiendum hanc  $\beta\epsilon\lambda\tau\iota\omega\sigma\omega$ . Vide Jo. Fried. Königium *Theol. Pos. Part. III. §. 356. f. 172.* Et hanc  $\zeta\omega\sigma\omicron\iota\eta\sigma\omega$  CHRISTI, Resurrectionis nostræ Spiritualis causam meritoriam esse, diserte docet iterum (a) Paulus Eph. II, 5. Nos una vivificavit cum Christo v. 6. unaque suscitavit in Christo Jesu Et. Col. II, 12. cum Christo suscitati estis, v. 13. Christus vos mortuos in peccatis secum vivificavit. H. Grotius hic & ibi phrasin: vivificavit nos cum Christo, perperam interpretatus est; Fecit nos vivere ad exemplum Christi. Ut Christum vivere fecit ex morte corporis, ita nos ex morte animarum. Nam ut recte hic Grotio respondet Jo. Coccejus *Comm. in Epist. ad Ephes. f. 1042.* Apostolus indicat, non quid similiter actum sit, sed quid similiter agi in electis oportuerit, cujus testimonium est Christi vivificatio: live quid ex Christi morte & vivificatione (meritorie) sequatur. Illi autem qui jam actu vivificati sunt, aut porro vivificabuntur, debent Deo gratias agere pro sui vivificatione & eam assignare merito Christi ut Cause. Est igitur vivificari & reuscitari cum Christo vel in Christo, vi resurrectionis Christi, a morte peccati resurgere; illa enim non fuit solitaria, sed connexa habuit Resuscitationem nostri spirituales. Ut mors Christi, sic & vivificatio ejus est causa meritoria non modo reconciliationis & non imputationis peccati, Christo propter peccata nostra morti tradito, & propter justificationem nostram resuscitato, Rom. IV, 25. sed etiam sub actionis & extinctionis peccati in iis, quos Deo reconciliavit, & sanctificationis ac vivificationis ad vitam novam. *Consepulti sumus*

(b) Ejus vivificatio.



mus ei per baptismum in mortem, ut sicut suscitatus est Christus ex mortuis in gloriam Patris, ita & nos in nova vita ambulemus. Rom. VI, 4. Mortui sumus cum Christo reatu peccati, morimur etiam dominio, dum desinimus esse, quod antea fuimus. Nec tamen in his duobus terminatur gratia & vis meriti, ut condonetur peccatum, & desinamus nos effundere in peccatum: Christus corporaliter revixit; Sic & nos spiritualiter revivificimus, ut in novitate vitæ ambulemus. Nam si cum eo plantati coaluimus assimilatione morti ejus nimirum etiam resurrectionis assimilatione cum eo coalescimus v. 5. Nemo liberatur a morbo, cui non redeat sanitas: nemo a morte, quin vivat: nemo desinit vivere in peccato, & sic peccato moritur, quin incipiat vivere in justitia. Quod si commortui sumus Christo (h. e. virtute mortis ejus peccato mortui sumus) credimus fore, ut etiam (vi resurrectionis ejus) ipsi convivamus v. 8. Virtus resurrectionis CHRISTI æq; in nobis operabitur, ne segnes simus ad bonum, sed vere & alacriter id facimus. Et quemadmodum morti Christi connecta est ipsius vita & resurrectio; ita morti, qua mortui eramus in peccatis & multo magis morti, qua morimur peccato, vi resurrectionis Christi, conjuncta est vivificatio nostri spiritualis. Ut enim in Adamo omnes morimur, quantum ad ejus demeritum (quia in uno peccavimus omnes Rom. V, 12.) ita in Christo omnes vivificamur. 1. Cor. XV, 22. quoad meritum ejusdem, quia meruit nobis omnibus vitam, cum carnem suam dedit pro totius mundi vita Joh. VI, 51. Quod enim unus pro omnibus mortuus in æstimatione divina perinde est, ac si omnes mortui essemus 2. Cor. V, 19. (b) Petrus I, Ep. I, 3. Deus regenuit nos (ad spem vivam) per Resurrectionem Jesu Christi ex mortuis. Quidam hæc ultima δι' ἀναστάσεως Ἰησοῦ χριστοῦ in νεκρῶν referunt ad propinquius εἰς ἐλπίδα ζωῆς, habetque nil fidei analogiæ adversum ista explicatio. Conf. Eph. II, 18. Sed (judice B. Gerharo Comment. ad h. l. f. 49.) rectius hic νεοσδιογιουσῶς refertur ad remotius verbum ἀναγεννήσεως. Quomodo etiam Syrus ordinavit: Deus ex gratia sua magna regenuit nos per resurrectionem Domini nostri Jesu Christi in spem vitæ. Vult igitur Apostolus, Resurrectionem Christi esse causam meritoriam regenerationis nostræ qua ex morte peccati ad vitam æternam resurgimus. Confirmat hanc expositionem Gerhardus ex eo, quod cap. III. v. 21. Baptisma dicitur nos solvare per resurrectionem Jesu Christi. Describitur autem meritum Christi per Resurrectionem ipsam late sc. sumtam, prout præter ζωοποίησιν sive reviv-



vilentiam CHRISTI, simul notat rediuvivi ejus corporis egressionem e sepulchro, & egressi praesentationem ad alios. Quae licet *praeclise* sumta prout est *affectio* Humanitatis ex exaltatione resuscitans in se nihil mereatur; *complexa* tamen & *plene cum fructu suo spectata*, prout scilicet est *aopzelesma*, seu actus officialis, regius triumphalis, *meritorius* (vid. Königium l. c. § 373. f. 174. 175. Conf. §. 363. f. 173. it. §. 384. fol. 176. nec non §. 399. f. 178.) non tantum in se est *causa meritoria* resurrectionis ad vitam gratiae & gloriae, sed & simul *evidens argumentum* peccatorum plene per ipsius passionem & mortem expiatorum, ac vitae aeternae pretio sanguinis sui nobis partae. Dum enim Christus sponsor noster factus, & propter peccatorum nostrorum debita in carcerem sepulchri conjectus, in resurrectione a Patre caelesti cum gloria ex hoc carcere eductus fuit, inde conspicitur, Deo pro peccatorum nostrorum debitis plene ac perfecte satisfactum esse, quod ipsum, si vera fide credimus, ac beneficia Christi passione & morte parta nobis applicamus, tum vires spirituales resurgendi a morte peccati ex vi resurrectionis ejus practice cognita Phil. III, 10. indispicimus, & *spes illa viva*, de qua Petrus hic loquitur per Christi resurrectionem in cordibus nostris oritur, augetur, atque confirmatur, (c) *Christus ipse* Joh. XI, 27. dum dicit, *se esse Resurrectionem & Vitam, non tantum* (1) quoad *vim efficientiae*, & *applicatio- nis efficacitatem*, quia jus adipiscendi vitam spirituales & resurgendi ad eam omnibus offert, ac per fidem nobis adjudicat, aut (2) quoad *exemplar & ideam resurrectionis nostrae*, quia, sicut ipse non mansit in morte, sed resurrexit, ita & nos resurgimus ad vitam gratiae & gloriae, ipsique ceu capiti nostro mystico conformes evadimus, sicut inquit Joh. XIV, 29. *vivo ego & vos vivetis*. Sed & (3) quoad *meritum suum*, quia propterea *vitam suam in mortem tradidit & resurrexit* Matth. XX, 28. ut nos resurgere possemus ad vitam gratiae & gloriae. *Ad hoc enim Christus & mortuus est, & resurrexit & reviviscit, ut & mortuis & viventibus dominetur* Rom. XIV, 9. In vita ergo nostra spiritali, quae dicitur *esse in Christo Jesu*, 2. Tim. I, 1. Operatur ejus resurrectio & vita.

§. XVI. *Causa Organica* ex parte Dei resuscitantis sunt *Verbum* *Causa Organica* & *Sacramenta*, ac suo modo etiam *Ministri Ecclesiae* ex parte hominis resurgentis *Fides in Christum*. Primum ergo medium, per quod  $\alpha$ ) ex parte Dei homines in peccatis mortuos ad vitam spirituales resuscitat est *Dei Verbum* non tam *Legis*, quod tantum praeparat corda & conterit per peccati *Verbum non tam Legis*



nitentiam, nec vivificat; quam *Evangelii*. Omne quidem verbum Dei, adeoque & VERBUM LEGIS per se fuisse vivificum: *Lex enim vitam promittebat* (quoad integritatem partium extensive, & perfectionem graduum intensive) *servantibus eam* Lev. XIX, 5. Ezech. XX, 11-13. Luc. X, 28. Act. VII, 38. Rom. X, 5. Gal. III, 12. Unde Apostolus legem in se spectatam simpliciter *præceptum ad vitam* vocat Rom. VII, 10. Verum, quod istum effectum non amplius habeat, illud fit per accidens propter transgressionem, & quatenus *infirmatur per carnis advectionem* Rom. VIII, 3. Quanta enim est impotentia cœci ad videndum, mortui ad semetipsum vivificandum, lapidis ad vitaliter operandum, tanta etiam est *advectione hominis in peccati mortui* Ephes. II, 1. ad legem quæ est *spiritualis* Rom. VII, 14. perfecte servandam. Unde expresse dicit, quod *lex non possit vivificare* Gal. III, 21. sed jam sit *lex peccati & mortis* Rom. VIII, 2. sive *præceptum ad mortem* cap. VII, 10. Interim non diffitemur, etiam in statu transgressionis *indirecte* & quoad usum tum pædagogicum, tum didacticum fieri verbum vitæ. *Pædagogicus* usus consistit in arguendo, accusando, & terrendo: ut sic, ostensa extrema hominis in peccatis mortui inopia & *advectione*, eundem ad Christum ex mortuis resuscitatum, inque verbo Evangelii monstratum, confugere compellat Gal. III, 24. licet formaliter directeque Christum nec sciat nec doceat. Quoad usum *Didacticum* lex est regula & norma, ad quam renati sive ex morte peccati resuscitati, ac per fidem in Christum justificati in novitate vitæ ambulare, Deoque debitum cultum præstare debent. Quo munere lex iterum tripliciter fungitur a) *Docendo*, quæ vita, qui cultus, quæ opera Deo placeant, ne *iniquitas* committatur. b) *Arguendo* operum imperfectionem ad excludendam Pharisaicam de eorundem merito opinionem. c) *Excitando*, quia enim vetus Adam & mors peccati in renatis non prorsus expellitur, & ad stadium bonorum operum ac novitatis vitæ est segnior, lex hanc torpedinem & acediam præceptis, exhortationibus, & combinationibus corrigit, segnemque Adamum ex veterino quasi excitat. De quo usu legis superiori seculo controversia erat cum *Antinomis*, qui dicebant, legem esse eliminandam ex Ecclesia regenitorum, nec dignam esse, ut vocetur verbum Dei, ac proinde ad curiam, non suggestum, pertinere. Cujus erroris primus Autor fuit Johannes Agricola *Islebiensis* Anno 1538. quem Lutherus *Tom. II. Jen. Germ. f. 290. sqq.* refutat. Is Agricola per propositionem suam, *quod Evangelium sit concilio penitentia,*

vi.

quæ nunc sal-  
tim indirecte  
aliquid ad vi-  
tam Spiritua-  
lem confert.



vivo adhuc Luthero, etiam Philippum Melanchthonem deceperat, quod ex variata ejus Confessione, articulo IV. & XX. patet. Philippum deinde Professores Wittebergenfes Crypto-Calviniani sunt secuti. Vide Formulam Conf. f. 595. seqq. & Hutterum in Form. Conc. f. 469.

§. XVI. VERBUM autem EVANGELII in hoc opere præci- quam Evange-  
 suas partes tenet. Nam 1) Per illud nobis annunciat<sup>ur</sup> & offertur<sup>lii per quod Vi-</sup>  
 vita spiritualis, 2. Tim. I, 9. 10. Gratia qua nobis data est in Christo Jesu<sup>ta Spiritualis</sup>  
 ante tempora seculorum, facta nunc est manifesta per illustrem illum adventum<sup>1) offertur;</sup>  
 Servatoris nostri Jesu Christi, qui & mortem abolevit, & vitam ac incorruptibilitatem in lucem produxit per Evangelium. Cum enim hic fere abscondita lateat sub cruce & mille moribus, nec satis appareat, quid sit, aut quid valeat, vita spiritualis, nemo vidisset, nemo intellexisset, nisi productam in lucem, uti nemo thesaurum in tenebricoso loco positum videt nisi affulgente luce: Jam quidem Christus suis apparitionibus post resurrectionem factis demonstravit perspicue, se vitam spiritua-lem suis promeruisse; sed quia resurrectio eius testes paucos habuit Act. X, 41. opus erat, ut toti mundo, qui jacebat in tenebris & umbra mortis Ef. IX, 2. innotesceret. Præstitit hoc per Evangelium, ceu Lampadem in loco excelso suspensam, cujus beneficio vita spiritualis videtur. Nam quid in Evangelio prædicatur, nisi mors & resurrectio Christi, cuius testes facti sunt Apostoli? De cujus prædicationis veritate tam certi sumus, atque si ipsum Dominum resurgentem vidissemus cum custodibus sepulchri, quia Evangelium pacis & iustitiæ certum & indubitatum est. 2) confertur.  
 Deus etiam per Evangelium vitam Spiritualem in nobis operatur, 1. Pet. I, 23. Regenerati non ex semine corruptibili, sed incorruptibili, i. e. per sermonem Dei vivum & manentem in æternum. Schwenckfeldius cum aliis Fanaticis textum Apostolicum sic reddi vult: Renati estis per sermonem Dei vivi & manentis in æternum. Sed evidens est, hic declarari τὴν ἀφάρατον τῆς σπογγῆς & mox v. 25. citari locum ex Ef. XL, 6. in quo τὸ μένειν ἐν τῷ αἰῶνα dicitur de verbo. Conf. Luc. XXI, 33. quanquam verum est, ideo sermonem Dei esse vivum & manentem in æternum, quia est sermo Dei vivi & manentis in æternum. Sit igitur hæc doctrina: Deus nos regignit ad vitam spiritualem, per sermonem viventem ac manentem in æternum. Dico (α) Viventem h. e. efficacem, quæ duo conjunguntur Heb. IV, 12. ὁ λόγος Θεοῦ ζῶν καὶ ἐνεργῆς. Hinc Christus: Verba, quæ ego loquor vobis, spiritus sunt & vita Joh. VI, 63. & Petrus: Domine, verba vitæ æterna habes: & nos credidimus & scivimus, te esse Chri-  
 D sum



stum illum Filium Dei viventis v. 6. 8. (B) Manentem in aeternum, nempe in eo, quem regenerat simul ad vitam aeternam, 1. Joh. III, 9. Semen ejus manet in ipso. Est regeneratio ad spem vivam 1. Petr. I, 3, ergo est regeneratio per verbum vivum & manens in regentis. Quodnam vero illud verbum? Ipse Petrus id notat, dum dicit v. 25. hoc autem est verbum illud, quod Evangelizatum est vobis. Quid enim est nobis evangelizatum? nonne Jesum esse Christum 1. Joh. I, 1. 2. 3. III, 22. 23. 24? Atque illi annunciationi convenit praeceptum fidei ad spem vivam Rom. I, 5. Heb. IX, 15. & praeceptum amoris, ut amemus nos invicem, quemadmodum a Christo amati sumus Joh. XIII, 34. Verbum hoc Evangelii (scribit B. Gerhardus Com. ad h. l. f. 145.) regenerat nos non solum *Dea* *externis*, quatenus mentes illustrat cognitione divinae voluntatis, ac monstrat nobis quid credendum & faciendum, sed etiam *internis*, quatenus flecit voluntatem ad assensum divini testimonii, efficaciter cor movet ac immutat, accendit in eisdem, quo gratiam Dei in Christo oblatam amplectimur, inque ea pacate acquiescimus; & per hanc fidem filii Dei ac heredes vitae aeternae reddimur: vivificat nos, non solum quatenus gustandum nobis praebeat Dei favorem, & vivifica consolatione nos erigit, sed etiam quatenus vitae spiritualis nos participes reddit. Vivum est Dei verbum, tum quia est verbum Dei viventis, tum quia insitam habet vim vivificam, tum quia Spiritus S. per illud veros & vivos motus spirituales in cordibus operatur. (3) Denique per Evangelium Deus filiis suis ex morte peccati resuscitatis dat Spiritum S. (est enim *Lex spiritus vitae* Rom. II, 2.) & *Legem cordibus eorum* inscribit Jer. XXXI, 33. Ezech. XXXVI, 26. Heb. IX, 10. unde revera possunt praestare obsequium Legi, luce Evangelii collustratae, cum secundum Spiritum ambulant Rom. IX, 1. 4. & a Spiritu Dei aguntur v. 14. eum semetipso abnegant Matth. XVI, 24. carnem suam crucifigunt cum pravis concupiscentiis Gal. V, 24. hominem veterem exuunt, novum induunt Eph. IV, 24. sanctimoniam student Heb. XII, 14. sobrie, juste ac pie in hoc mundo vivunt Tit. II, 12. uno verbo: ambulant, ut ipse Christus ambulavit 1. Joh. II, 6. Nam & illa praecepta non mere legalia, sed luce Evangelii quodammodo perfusa sunt, & opera, quae requirunt, ad fidei *externam* tum *primariam*, quae est fiducialis meriti Christi apprehensio Joh. I, 5. II. tum *secundariam*, quae est dilectio Dei & proximi Gal. V, 6. pertinent. Imperfectionem autem regit & expiat Christi perfectum obsequium, propter quod, obedientiam liberorum suorum Deus Pater secundum *internam* Evangelicam gratiose suscipit, ac *servationem* mandatorum suorum appellare dignatur Joh. XIV, 21. 24. XV, 10. I. Joh. II, 3. 4. c. III, 22. V, 2, 3.

3) cum dono Spiritus S.

§. XVIII.



§. XVIII. Alterum Medium Vivificationis spiritualis sunt duo Sacramen- &  
 ta *Baptismus & Cena Dominica*. De BAPTISMO locus valde illustris ex- Sacramenta  
 tat Rom. VI, 3. 4. *An ignoratis, nos quotquot baptizati sumus in Christum* Baptismus  
*Jesum in mortem ejus baptizatos esse. Consepulti sumus igitur ei, per bap-  
 tismum in mortem, ut sicut suscitatus est Christus ex mortuis in gloriam Patris,  
 ita & nos in nova vita ambulemus. Cui plane conformis est alter ad Col-  
 loss. II, 12. Christo consepulti per baptismum, per quem etiam cum eo su-  
 scitati estis. Ritus baptismi tunc usitatus erat, ut homo totus aqua im-  
 mergeretur. Hinc illa *κατάδυσσις & ἀνάδυσσις* in Baptismo Veteribus  
 adeo celebrata. Vide Joh. Casp. Svicerum in *Thesauro Eccles. f. 259. seqq.*  
 Ad hunc respiciens Apostolus significat mori ac mergi veterem homi-  
 nem, vel sepeliri quasi in aqua baptismi: e contrario novum inde homi-  
 nem resurgere ac prodire. Notat *ἡ κατάδυσσις τὸ συναποθανεῖν, ἡ ἀνάδυ-  
 σις τὸ συναναστῆναι τῷ Χριστῷ*. Verba sunt Autoris *Const. Apostol. L. III. c.*  
*XVII.* Hinc Theophylactus ad *1. Cor. X, 2. βαπτίζουσθε, καὶ ἀντὶ  
 μύσθητοι τοῦ θανάτου διὰ τῆς κατάδυσσεως, καὶ ἀνάστασιν διὰ τῆς  
 ἀνάδυσσεως*. Monstrat etiam Apostolus originem efficaciam & virtutem Ba-  
 ptismi, quæ est ex morte, sepultura, & resurrectione Jesu Christi: *Ba-  
 ptizamur enim in mortem ejus, & consepelinur cum illo per baptismum, & per  
 hunc etiam cum eo resuscitamur*. Ita omnis efficacia & utilitas mortis & re-  
 surrectionis Christi baptismi indita est. Licet enim aqua in se ad spiritua-  
 les & coelestes operationes non sit efficax, sufficiens tamen fati superque  
 est mors & resurrectio Christi. De hoc admonet ille Romanos dicens: *An  
 ignoratis?* Scitis utique, quia id jam dictum fuit expresse cum baptizare-  
 mini, quæ sit vis & obligatio baptismi: mortuum nempe Salvatorem esse  
 ad acquirendam vobis remissionem peccatorum, sed & vos ipsos mori  
 peccatis debere, sicut mortem passus est Christus. Christiani scilicet, qui  
 baptizantur in Christum mortuum, ad mortem, qua moriuntur peccato,  
 continuam vere se obligant, duratque illa tamdiu, quamdiu aliquid re-  
 stat, quod mori debet, & tantum ex vita Salvatoris participant, quantum  
 ex morte ejus in se operari passi sunt. Ita mors Christi suam in nobis in-  
 coepit efficaciam, sed eam continuat, donec intereat omne, quod mori  
 debet. Nec mortis solum, sed & Sepulturæ Christi typum habet  
 ac virtutem Baptismus. Nam ut Christus, postquam sepultus esset,  
 maledictum sibi impositum sustulit *Deut. XXI, 23.* sic & nos sepultu-  
 ræ ejus participes reddimur, dum in aquam tanquam in sepulchrum  
 submergimur & ea quasi obtegimur. Porro ut Christus surrexit ac reli-*



quit in sepulchro peccatum, quod in cruce cum eo veluti pependerat, & cum ipso sepultum fuerat, nec in priorem illam vitam terrenam & naturalem, sed statim in spiritualem & coelestem ingressus est; sic & nos peccatum, tanquam in sepulchro relinquere & quoties caput erigere conatur, repellere tenemur: e contrario virtute Baptisini ad novam vitam resurgere, quæ nunc spiritualis est, coelestis autem fiet in ipso in cælum ingressu, postquam mortale onus deposuerimus. Paulo hic iterum suffragatur Petrus 1. Epist. III, 23. *Baptismum, scribens, non quo fordes carnis abjiciuntur, sed qui est stipulatio bonæ conscientie apud Deum, servare nos per resurrectionem Jesu Christi.* Resurrectio nempe Christi est confirmatio ipsius meriti & satisfactionis Rom. VIII, 34. & dum nominò Christum ex morte redivivum, intelligo ex mente Spiritus S. totam meriti ac beneficiorum ejus plenitudinem. Quod & suo inculcat Timotheo Paulus 2. Tim. II, 8. *Memento Jesum Christum suscitatum fuisse ex mortuis, factum ex semine Davidis, secundum Evangelium meum.* Quia igitur resurrectio Christi Baptismatis aquæ tam arcte, ut dictum, adunatur, & fructus hujus ex illa educitur, in baptismo totam salutis æternæ plenitudinem repositam esse, & exinde hauriri debere ostenditur. Atque adeo Baptismus (quod alias negant Calviniani, Socinistæ, Weigeliani, & Anabaptistæ) est efficax obsignatio communionis cum Christo in morte & in vita. *Baptizamur enim in Christum, h. e. per Baptismum nobis obsignatur, quod ipsius mors sit causa quare lex propter peccatum non habet potestatem in nos, neque peccatum per legem, sed quod lege ut Christo capiti, ita & nobis adjudicata sit vita æterna.* Et sicut hinc Baptismus resurrectionis & mortis Christi symbolum esse apparet; ita etiam usitatissime Græcis Patribus ἀναγέννησις regeneratio appellatur. Rationem appellationis hanc reddit Chrysostomus *Caten. in cap. III. Joh. h. 86. Ut enim qui a morte resurgit, nasci demum videtur; ita etiam, is, qui in baptismo renatus est, ut in aqua nimirum quasi primum mortuus, sic inde virtute Spiritus resurgens, regenerari (ἀναγεννάσθαι) dicitur: (τῆς μὲν κατὰ φύσιν ἐν τῷ ὕδατι τῆς βαπτιστικῆς γυνουμένης, τῆς δὲ ἀναγέννησιν, καὶ τῆς ἀνάσθαι τῆς γυνουμένης ἐκείνης ἐν τῷ ὕδατι ἀναγέννησις) immersione quidem in baptizato, sepulture; emersione vero, & reditu ex aqua, resurrectionis vicem obtinente.*

&  
Cena Domi-  
nica.

§. XIX. De s. EUCHARISTIA, quæ *Mensa Domini* dicitur I. Cor. X, 21. hoc evincitur ex fine *supernaturali*, scilicet *communicantium nutritione*, cujus effectus est *vivificatio*, i. e. vitæ spiritualis confer-



ervatio, & augmentatio virium supernaturalium fidei, spei, charitatis, & cujuslibet boni Operis. Christus enim Joh. VI. carnem suam, quam vobis sub pane eucharistico ad manducandum exhibet, vocat *panem vitae*, i. e. vivificum. Nam, dum ait v. 35. *Ego sum panis ille vitae, qui venio ad me, nequaquam esuriet. Et qui credit in me, non sitiet unquam; Et v. 51. Ego sum panis ille vivus, qui e caelo descendit: si quis ederit ex hoc pane, vivet in aeternum: panis autem, quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita: hæc verba intelligi debent de vita spirituali, non tantum ut per Christum, traditione corporis sui in mortem, est acquisita, sed etiam ut ab eodem applicatur, exhibitione corporis hujus, ceterum salutis & vivificationis, in Sacra Cœna. Proinde non habent causam Reformati, quare hanc carnis pro vita mundi dationem tantum exponant de merito & non de efficacia. Nam & applicatione vitæ spiritualis in S. Eucharistia carnem Christi vivificam esse comprobant sequentes illius capitis aphorismi: Amen dico vobis, nisi ederitis carnem filii hominis, & biberitis sanguinem ejus, non habebitis vitam in vobis v. 54. Qui edidit carnem meam, & bibit sanguinem meum, (jam) habet vitam aeternam, & ego resuscitabo illum in novissimo die v. 55. Qui edidit carnem meam, & bibit sanguinem meum, in me manet v. 7. Sicut misit me vitæ ille Pater, & ego vivo per Patrem, ita etiam qui edidit me, vivet ipse propter me v. 58. Et ex his verbis Patres Orthodoxi declararunt cœnæ Dominicæ fructum. Quamvis enim scopus Christi in hoc cap. VI. proprius sit agere de manducatione & bibitione non sacramentali sed mere spirituali: nequaquam tamen impertinens est allegatio hujus capitis ad explicandum finem S. cœnæ modo indicatum. Quæ enim verbo Evangelii tribuitur alimentatio & vivificatio, eandem etiam cum illo communem habent sacramenta, tanquam verbi hujus sigilla. Neque enim verbo Dei sacramenta sunt addita diminutionis sed confirmationis gratia, ut tanto certius a nobis credatur finis divinitus intentus. Accedit, quod non sit alius cibus & potus, qui in spirituali manducatione atque bibitione ore fidei sumitur, quam ille ipse, qui in S. Eucharistia ore corporis accipitur.*

§. XX. MINISTRI ECCLESIAE ad opus resuscitationis spiritualis cooperantur, quatenus verbum & sacramenta in usu suo constituent, ac hominibus ex morte peccati revocandis, auctoritate non sua, sed Dei, & juxta institutionem divinam, applicent. Atque sic intelligendum est, quod Paulus I. Cor. IV. 15. seipsum vocat Corinthiorum

ejus finis est  
spiritualis nutri-  
tio Communica-  
tionum.

Causa Ministe-  
rialis: Verbi  
Præcones.



Patrem, ipsosque suos *filios*. Et cap. IX, v. 1. suum *opus*: nempe non quod sua virtute, dexteritate aut sapientia eos in vitam spiritualem progenerit, sed ut ipse cit. cap. IV, v. 15. sese declarat, quod in Christo Jesu per Evangelium eos (in vitam spiritualem) genuerit. Hinc Credentes dicuntur Renati non ex semine mortali, sed ex immortali per sermonem Dei viventem ac manentem in eternum 1. Pet. I, 23. Et quos genere Apostoli in Christo Jesu per Evangelium, dicitur Deus ipse progenuisse verbo veritatis Jac. I, 18. Scilicet Illi gignunt ut causa Ministerialis exterius plantando, & rigando, i. e. verbum Dei prædicando; Hic per ipsorum Ministerium ut causa Principalis interius per verbum operando & vitam ac vires spirituales largiendo. Idem innuit Apostolus I. Tim. I, 10. 11. scribens: Christum mortem abolevisse & vitam ac incorruptibilitatem in lucem produxisse per Evangelium: *cujus causa constitutus ipse fuerit Præco ac Apostolus & Doctor Gentium*. Conf. I. Tim. II, 7. Huc etiam tendit acclamatio Paulina Ephes. V, 14. *Expergiscere, qui dormis, & surge a mortuis*. Quem textum ex professio tractat & ad Ministros Ecclesiæ spectare docet B. Joh. Schmidius Part. III. Conc. Festiv. f. 105. sqq. Sic & de Mose dicitur AG. VII, 38. *Hic ille est, qui conveniente populo in deserto, excepit viva eloquia, quæ nobis traderet*. Præprimis hic notari meretur locus 2. Cor. II, 16, ubi Paulus suo & reliquorum verbi divini præconum nomine scribit: *Deo sit gratia, qui odorem cognitionis sui* (in Christo) *manifestum facit per vos quovis in loco v. 14. Nam Christi bona fragrantia sumus Deo: in iis qui servantur & in iis qui pereunt v. 15. His quidem odor mortis ad mortem: illis vero odor vitæ ad vitam. v. 16.* Sunt igitur Apostoli horumque successores etiam in opere resurrectionis spiritualis *Ministri Dei & Christi* I. Cor. IV, 1. II. Cor. IV, 6. Eph. IV, 12. cui subordinantur & æquo dependent dependentia non tantum *potestatis*, sed etiam *formæ, normæ, exercitii, & efficacis* ut B. Scherzerus loquitur *Syst. Loc. XII. §. IX. f. 315.* media sic via inter Calvinianos Ministros Ecclesiæ fere nullam, & Papiſtas nimiam in justificationis negotio potestatem tribuentes, incedens. Et tamen realiter & efficaciter, cum Deo & Christo ad resurrectionem hominum ex morte peccati concurrunt. Sunt enim *συνεργοί*, & *cooperarii ipsius Dei* resuscitantis I. Cor. III, 9. Quivero Deo vivificantis ut minister & *συνεργός* cooperatur, is una cum Deo, salva dependentia & subordinatione, vere resuscitat: Sicuti Ministris resuscitantibus Dominus vicissim cooperatur, Marc. XVI, 29.



§. XXI. *Causa Organica ex parte hominis resurgentis est FIDES* Ex parte  
**DES IN CHRISTUM.** Hoc Paulus (a) *expresse*, affirmat Col. II, 12. *Hominis, Fi-*  
*Cum Christo suscitati estis (in baptismo) per FIDEM efficacis illius virtu-* des in Chri-  
*tis Dei, qui suscitavit eum ex mortuis.* Totum enim hoc opus fidei: cu- stura  
 jus interventu, remissis peccatis, homo ad illius spiritualis vitæ lucem re-  
 suscitur. Dicitur hæc *πίσις τῆς ἐνεργείας τοῦ Θεοῦ ἐν ἐμῶν* *ἐν νεκρῶν* tum *causaliter*, quod una eademque sit efficacia, quæ Chri-  
 stum suscitavit ex mortuis, & nos suscitavit cum ipso per fidem datam:  
 tum *objective*, quia in Deo potenter nos per fidem resuscitante cum  
 Christo, propter meritum ejus ex gratia, habemus plenum fidei objectum:  
 quod Pontificii mancum faciunt, quando solam Omnipotentiam Dei  
 illud esse dicunt: quæ fraus ab illis hic occultatur. (β) *Tacite* insinuat  
 Eph. II, 5. 6. dum ait: *Deum nos in peccatis mortuos non tantum una vi-*  
*vificasse cum Christo, sed & una suscitasse* IN ILLO. Quod posterius fi-  
 dem insere, ut coniungatur tum *meritum*, vi cuius cum Christo vivificati  
 ac resuscitati sumus; tum *applicatio* ejusdem per fidem, qua in Christo  
 sumus & participes reddimur vivificationis, resurrectionis, & exaltatio-  
 nis ejus ad coelestem gloriam. Præclare B. D. Calovius in *Annot. ad h. l.*  
*f. 675. a.* *Ut plenius explicetur, quomodo cum Christo vivificati, cum*  
*Christo resuscitati, cum Christo in coelestibus constituti sumus in Christo Je-*  
*su, dicendum, id factum esse tum ratione meriti, cum ipse tanquam vas &*  
*Sponsor noster pro nobis in mortem traditus est, quod perinde se habuit, ac*  
*si nos ipsi mortem subiissemus: ideoque resuscitato ipso ex morte, nos re-*  
*suscitati sumus, sicuti præstita satisfactione a sponsore non solum*  
*hic liber est, sed & ille, cuius sponsorem se dederat: tum ratione appli-*  
*cationis, quod FIDE apprehendamus nobisque applicemus meritum Christi*  
*& satisfactionem, atque hac ratione actu spiritualiter vivificamur, & a mor-*  
*te peccati excitamur, ut πολιτεύομεν nostrum in coelis habeamus, vivificandi*  
*etiam ac resuscitandi olim ad alteram coelestem vitam, ut cum Christo ἐν*  
*ἐπαγγελίῳ confideamus & regnemus. Ante Paulum vero idem asseru-*  
*erat Christus J. h. V, 24. Amen amen, dico vobis, qui sermonem meum audis*  
*& credit ei, qui misit me, habet vitam æternam, & in condemnationem non*  
*veniet, sed transibit a morte in vitam. Et mox v. 25. Adventat tempus, &*  
*nunc est, cum mortui audient vocem filii Dei, & qui audient, vivent. Non a-*  
*gi hic de resurrectione carnis sed spiritus supra §. XIII. probatum dedi-*  
*mus. Mortui dicuntur illi qui nullam speciem vitæ præ se ferebant,*  
*cum Christus illa diceret. Judæi videbantur vivere, & habebant oculos*  
 ad



ad videndum & aures ad audiendum, ita tamen ut nec viderent nec audirent Ezech. XII, 2. quantumvis & illi, qui non videbant nec audiebant, revera essent mortui. Sed nunc Christus eos mortuos designat, qui procul dubio erant spiritualiter mortui, *alienati a vita Dei* Eph. IV, 18. *qui & cæci & surdi* nuncupantur Ef. XXIX, 18. XLIII, 6. 7. 8. *Vox Filii Dei* quam audient mortui, non est tantum sonus Evangelii prædicati, sed & simul insita civis ac potentia excitans a morte peccati, aperiens clausos oculos ad videndum, & aures obturatas ad audiendum, & cor ad intelligendum, & voluntatem ipsam flectens ad obedientiam fidei. Ita ut hic clarissime doceamur fidem dari a Christo, & per eam potentiam dari qua excitantur mortui. Amplius additur; *Et qui audierint vivent*. Significatur enim, qui inter mortuos audierint vocem filii, non veluti manentes in morte, sed ut perceperint vocem Filii Dei, seque senserint a Filio Dei vocari & vivificari, eos victuros, nec unquam deinceps, si in fide perseveraverint, morituros Joh. XI, 26. Coeterum *mortuos audituros vocem Filii Dei* satis probat locus Ef. XLII, 5. 6. 7. Conf. Ef. XLIX, 9.

Forma Refur.  
Spirit.  
Mutatio non  
substantialis  
sed accidenta-  
lis.

§. XXII. A causa Agente progredimur ad FORMAM refuscitationis vel resurrectionis mysticæ, quæ *Mutationem* aliquam *spiritualem*, non quidem *substantialem* sed *accidentalem* importat. Neque enim (verba sunt B. Hülsemanni *Prælect. in Form. Conc. Art. VI. Sect. IV. §. III. f. 395.*) *alia intellectus & voluntatis substantia* introducitur per regenerationem (ad vitam spiritualem) *deleta & extincta præ existente naturali substantia voluntatis; sed quemadmodum in resuscitatione corporis eadem numero caro, quam hic gestavimus, reproducetur instructa alii specie qualitibus; ita in regeneratione (seu resuscitatione spirituali) eadem substantia naturalis nostræ intellectus intelligit credenda; eadem substantia naturalis nostræ voluntatis eligit eligenda: sed per alias specie qualitates. Quapropter testimonia illa scripturarum, quæ dicunt facultatem volendi & intelligendi mortuam in homine lapsa, intelligenda sunt non de abolitione intellectus & voluntatis naturalis, sed de amissione facultatis proportionata ad intelligendum & volendum bonum supernaturale* Ephes. II, 1. 2. 5. Rom. VI, 13. 17. 22. II. Cor. III, 17. *Econtrario facultates supernaturales per regenerationem collatæ, ut cor novum, spiritus novus* Ezech. XI, 19. XXXVI, 26. *intelligende sunt de novis qualitibus, non substantiis per regenerationem introductis. Quod opponendum Socinianis & Arminianis calumniantibus, tanquam novam substantiam per regenerationem introduci statuumus,*  
quan-



quando hominem spiritualiter mortuum resuscitari cum Apostolo dicimus: cum e contrario illi mortem de sola ægitudine seu absentia sufficientis vivacitatis soleant exponere, uti videre est apud Vöckelium *L. IV. de Relig. Christ. c. IV.* Arminium *Apol. c. XVII.* Opponenda etiam hæc propositio est Pontificiis & Synergistis, contententibus non introduci per regenerationem alias specie qualitates in intellectum & voluntatem hominis; sed præ existentes tantum illustrari & excitari, uti videre est apud Bellarminum *L. VI. de Grat. & Lib. Arb. cap. XIII.* Qua ratione homo irregeneratus non nisi catachrestice dicetur mortuus, facultas per regenerationem introducta abusive dicetur Cor novum, Spiritus novus. Pulchre hanc mutationem accidentalem expressit Chrylostomus *Hom. X. in Epist. ad Rom. c. VI. v. 4.* *Aliam a nobis resurrectionem postulat: nempe novum vitæ presentis genus atque institutum, a morum immutatione factum. Nam uti scortator sit castus; avarus misericors: homo durus mansuetus: sic quoque facta est resurrectio: Peccato quidem mortificato, justitia vero exurgente; ac vita quidem pristina deleta, nova autem hac & Angelica regnante. Itaque cum Resuscitatio Spiritualis mutationem aliquam importet, notandi sunt ejus Termini a quo & ad quem.*

§. XXIII. *Terminus, a quo incipit hæc mutatio, est MORS PECCATI.* Ostendit hunc Apostolus *Col. II, 13, 14.* *Vosque mortuos in offensis, & præputio carnis vestræ secum vivificavit, vobis condonatis omnibus offensis, ac deletis, quod adversum nos erat, dogmatum chirographo, quod, inquam, erat nobis subcontrarium, ipse vero cruci affixum e medio sustulit. Complectitur autem Mors peccati in tota sua latitudine spectata (α) Privationem virium ad bona spiritualia salutariter agnoscenda & amplectenda, & contra positivam quandam pronitatem ad malum. (β) Dominium quod peccatum in voluntatem hominis obtinet, quoque homo ejus servus redditur ad obediendum illi per cupiditates ejus. (γ) Reatum peccati quo coram DEO constituimur injusti & rei iræ divinæ ac æternæ damnationis. (δ) Rigorem exactionis Legalis, quo lex Moralis cum appendice rituum seu ceremoniarum sub maledictionis comminatione ante Christum nos obligabat ad impletionem sui omnibus numeris perfectam & absolutam. Quæ omnia dicto loco, paucis attingit Apostolus. Primum quidem, dum mortuos nos dicit in præputio carnis, quo, ut communiter explicant Auctores, significatur connata illa carnis immundities & perversitas, in carentia omnium bonarum virium, & naturali quadam pronitate ad malum, posita. Quamvis non male dicatur*

Cl. jus Terminus a quo Mors Peccati.

consistens in Privatione Virium Spiritualium



quum pronitate  
ad malum.

non esse simpliciter peccatum originale live corruptionem naturæ humanæ, voce τὴν ἀγαθὴν expressam, sed ejus aliquam proprietatem, *ineluctabilem* puta *indurationem* quatenus homo in peccato originis quasi clausus & obductus tenetur, sicuti præputium corporis obducit partem, cujus est præputium; Vel *omnem malitiam carnis* in actu primo spectatam, quæ partim cum ipsa natura corrupta a parentibus propagatur & necessitate quadam omnibus inest; partim pravis actionibus sponte contrahitur ab iis, qui in concupiscentiis carnis vivunt, & voluntate inest non renatis. Nam quod etiam hæc sponte contracta malitia interdum præputii nomine comprehendatur, patere videtur ex illo Rom. II, 25. *Si transgressor legis fueris, circumciso tua in præputium versa est*, i. e. perinde erit, ac si non esses circumcisus. Cujus rei vix alia, quam hæc afferri potest ratio: quod per transgressionem legis Homo sibi contrahat *cor incircumcisum*, seu, ut clarius dicam, *malitiam cordis*, quæ coram Deo vere est præputium quoddam cordis, & qua homini præputium habenti seu gentili prorsus similis evadit. Secundum vero ibidem indigitat, dum mortuos dicit eos (ἐν τοῖς νεκροῖς) *in delictis*: quo ipso peccata regnantia significari elucescit Eph. II, 1. sqq; ubi Apostolus eandem doctrinam paulo plentius, nec verbis multum diversis persequitur. Postquam enim com. 1. dixerat: *Vos cum essetis mortui* (τοῖς νεκροῖς καὶ ἀνεπισημαῖς) *delictis & peccatis*, addit: *in quibus aliquando ambulastis juxta sæculum hujus mundi, juxta Principem, cui potestas est aëris, & Spiritus nunc agentis in Filiis contumacibus, inter quos & nos omnes conversabamur aliquando in concupiscentiis carnis nostræ facientes, quæ carni ac menti liberabant.* Quæ luculenta est descriptio Domini, quod obtinuit peccatum in homine, *regnans in ejus mortali corpore*, ut ipse loquitur Rom. VI, 12. *Terrium* subinnuit, cum Christum dicit nos *secum vivificasse & condonasse omnia delicta.* Nam condonatio delictorum pertinet ad *reatum*, & dicuntur peccata condonari, cum *Reatus* tollitur, seu cum non imputatur. Vid. Rom. IV, 7. 8. Et ne quis putet, reatum hunc consequi actualia tantum peccata, cum Paulus solum de νεκροῖς dicat, a Deo condonari, notandum est quod Eph. II, 3. expresse doceat, nos omnes esse *filios iræ* h. e. iræ divinæ ac æternæ damnationis reos *natura*, nempe ob connatam carnis immunditiam ac perversitatem. *Quartum* exprimit, dum ait *delictum esse, quod adversum nos erat in dogmatibus chirographum.* Hoc & Rigore legis, *ἡ ἐπιταγή* (scribit Dn. D. Seb. Schmidius. *Comm. ad h. l. f. 155.*) nihil aliud

(B)

Dominio  
Peccati.

(γ)

Reatu

(δ)

Maledictione  
& Rigore legis.



aliud nobis est quam *Lex Mosaiica scripta*, imprimis *Moralis*, cum qua in eiusmodi Disputationibus Apostolus saltem consequenter includit *Legem ceremoniam*, quatenus ut necessaria & a Mose certo sine scripta urgetur. *Lex hæc litera* est, quæ partim postulat a nobis, partim ut necessarium ostendit ac præfiguratur, quod nec ipsa dare, nec nos præstare possumus, ut nos tanquam pædagogus ad Christum ducat *per elementa mundi*, quæ habet v. 20. unde apparere potest, quod & *Lex moralis*, quæ nec dat, quod postulat, nec nos præstare possumus; & *Ceremonialis*, quæ satisfactionem necessariam præfiguratur, non autem exhibet, nec in nobis invenit, sic intelligenda: ut utraque, cum corpus & omnia in Christo solo habeantur, ad Christum deducatur. Utraque eleganter dicitur chirographum, quia partim in tabulis lapideis digito Dei, partim in libris Mosis atramento scriptas 2. Cor. III, 3. ita ut nos quasi-chirographum obligatos teneat. Notandum autem legem hic non simpliciter considerari, sed prout est *chirographum & pædagogus* (hactenus enim deleta a Christo) non autem prout *regula & norma* est novæ nostræ obedientiæ & bonorum operum interni hominis, gratitudinis ergo Deo præstandorum: quod quidem solius legis moralis est, non ceremonialis, quæ externa tantum normavit olim non interna, Et inter hæc, quæ mors peccati includit, sive membra sive requisita, talis intercedit ordo, ut *Primum* ad secundum sese habeat per modum actus primi & ut principium ejus: *Secundum* vero per modum actus secundi & ut effectus illius: *Tertium & Quartum* denique ut utriusque consequens vel concomitans.

§. XXIV. *Terminus, ad quem tendit, & in quo terminatur* Resuscitatio mystica est *VITA SPIRITUALIS* totaliter accepta, prout præter vires credendi, immunitatem a reatu & Dominio peccati, nec non ab exactione Legali complectitur. Vitam Spiritualem prout, (1) *Vires credendi* involvit, præ oculis habet Apostolus Eph. IV, 18. ubi Gentiles dicit esse *alienatos a vita Dei*, i. e. a vita spirituali, in qua lux Fidei & cognitionis Dei est, idque per ignorantiam, quæ in ipsorum natura est, & per ob-  
Terminus ad quem, Vita Spiritu-  
 lis.  
consistens in  
 1) Viribus  
 Cedendi.  
2) Immunitate  
 a reatu.  
 turationem cordis eorum, quæ culpa propria ad istam ignorantiam naturalem accedit. De vita spirituali prout (2) *Immunitatem a reatu peccati* designat, loquitur Paulus Rom. V, 18. *Nempe sicut per unam offensam reatus venit in omnes homines ad condemnationem, ita per unam justificationem beneficium redundavit in omnes homines ad justificationem vite.* Ex una parte stat *Mors peccati*, quæ condemnationis reatum in omnes secum tulit,



tulit, ex altera *vita justitiae Christi* plenariam satisfactionem pro peccatis totius mundi completens, quæ affert justificationem vitæ, ut homo coram Deo justus & compos salutis æternæ pronuncietur. Hæc vita ad omnes homines pertinet, quamvis non omnes hujus vitæ participes fiant: ad hoc enim fides requiritur, qua plurimi carent, multi tamen ex fide illa a damnatione liberantur, quæ iis ex Adamo incumberebat. Idem ad Rom. II, 10. scribit: *Si Christus in nobis est* (per fidem) *corpus quidem mortuum* (seu morti subjectum) *est propter peccatum, Spiritus autem* (sive Spirituale) *illud, quod Spiritus S. in nobis operatur, homo scilicet novus & interior) vita est propter justificationem, h. e. justitiam Christi per fidem imputatam.* Præmissis hic audiendus est Johannes, I. Ep. III, 14. *Nos scimus, nos translatos esse* (scilicet per fidem) *ex morte in vitam.* Fit namque transitus iste, dum primo omnis peccati reatus per remissionem peccatorum propter Christum aufertur: deinde Spiritus S. datur, qui novas vires, vitales, ut sic loquar, donat, donec tandem fructus remissionis peccatorum seu justificationis, vita æterna & omnimoda perfectio jure hæreditatis debita sequatur. De vita spirituali, quatenus (3) *immunitatem a Domino peccati respicit, ex professo agit Apostolus Rom. VI, 1. sqq. Ubi Christum ex mortuis resuscitatum esse docet, in gloriam Patris, ut & nos, qui jam per fidem justificati sumus, ad vitam novam* (spiritualiter resurgamus, inque illa ambulemus v. 4. nec amplius peccato serviamus v. 6. sed Deo vivamus per Jesum Christum Dominum nostrum. v. 11. Qui tandem hanc tractationem, postquam in morte Christi, mortificationis carnis; in resurrectione, renovationis spiritus exemplar proposuit, gravissima isthac parenthesi concludit v. 12. 13. 14. *Ne regnato igitur peccatum in mortali vestro corpore, ut auscultetis ei in cupiditatibus corporis, neque sistite membra vestra arma injustitiæ peccato: sed sistite vos Deo, ut ex mortuis vivos, & membra vestra arma justitiæ Deo, peccatum enim vobis non dominabitur.* Denique vitam spirituales, quatenus (4) *Immunitatem ab exactiōne legali* significat, innuit Paulus Gal. II, 19. *Ego per legem* (Spiritus scilicet vitæ Rom. II, 2. h. e. Evangelium) *legi* (morali exigenti perfectam obedientiam) *mortuus* (i. e. quoad poenam & maledictionem non amplius obligatus) *sum, ut Deo viverem* (vitam gratiæ) *una cum Christo crucifixus sum, i. e. Crucifixio Christi est & mihi per fidem imputata, non secus ac si ipse legi divinæ pro peccato meo satisfacissem, & una cum Christo persona fuisset.* Spectatur enim h. l. crucifixio Christi non ratione imitatio-

Domino pec-  
cati.

&  
Exactiōne le-  
gali.



nis & *exempli* ut Rom. VI, 6. I. Pet. II, 21. sed *doni* per fidem credentibus imputati, cui peccatum, mors, & lex sunt crucifixæ, quia Christus ea in crucem sustulit. Unde mox subjungit v. 21. *vivo autem non ego, sed vivit in me Christus. Vitam autem, quam nunc vivo in carne, per fidem vivo Filio Dei, qui dilexit me, ac tradidit semetipsum pro me.* Lex ergo non habet amplius vim, nos, qui in Christo Jesu vivimus, accusandi de peccato, aut satisfactionem a nobis postulandi, quæ est *justificatio* non tantum a peccato, sed etiam *ab iis, quæ imposta erant, & justificare nos poterant*, Act. XIII, 39.

§. XXV. *Actus ergo Formales* resuscitationis Spiritualis pro diversitate terminorum *a quo & ad quem* sunt numero quatuor. Primus est REGENERATIO stricte sic dicta sive *Conversio*, Eph. II, 5. Col. II, 12. I. Pet. I, 3. vid. supra §. VII. Lit. a) Hujus (1) *Terminus a quo* est Carentia virium Spiritualium ad fidem aliosque actus spirituales requisitarum, Col. II, 13. 14. adeoque consistit ex parte (α) *Intellectus*, in Impotentia ad cognoscenda objecta vera spiritualia: quomodo Ephesii, antequam renascerentur, tenebræ appellantur a Paulo Eph. V, 8. i. e. obtenebrati, carentes luce spirituali, seu viribus cognoscendi spiritualia. (β) *Voluntatis*, in Impotentia prosequendi bona spiritualia: seu quod voluntas, qualis est per carnalem suam conditionem legi divinæ non subjiciatur nec subjici possit Rom. IX, 7. (γ) *Appetitus Sensitivi* in ineptitudine obsequendi Spiritui, ac reprimendi desideria carnis, quia nempe in eo statu nondum desit peccatum regnare in corpore, unde homines potius obediunt illi per concupiscentias ejus Rom. VI, 12. (2) *Terminus ad quem* sunt *Vires spirituales* Eph. IV, 18. Quæ quidem important ex parte (α) *Intellectus*, lucem fidei spiritualis Eph. V, 8. seu vires recte judicandi de objectis spiritualibus aut illis assentiendi: prout homo spiritualis dicitur dijudicare (& sic pollere viribus dijudicandi) spiritualia, aliter quam homo animalis, qui ea pro stulticia habet, nec potest intelligere I. Cor. II, 14. (β) *Voluntatis*, vires prosequendi bona spiritualia, imprimis confidendi in Christo: & vocatur fiducia habitualis sive in actu primo. (γ) *Appetitus sensitivi*, facultatem aliqualem, per quam incipit redigi sub obsequium Spiritus, saltem eo usque, ne productio fidei salvifica in intellectu & voluntate per desideria carnis continuata impediatur: plenior autem immutatio & perfectio *Appetitus sensitivi* ad renovationem pertinet. De qua mox suo loco.

§. XXVI. A ter actus Formalis est JUSTIFICATIO Hab. II,

E 3

4.



Justificatio.  
Cujus  
terminus a  
quo

4. Rom. IV, 24. Col. II, 13. Phil. III, 9. 10. 11. Vid. supra §. VII. Lit. β. Hujus (1) *Terminus a quo* est Status seu reatus iræ ac poenæ non tantum temporalis sed & æternæ, tum positive tum privative sumtæ; quo referri solet *ὁσιγῆσις* illa *τῆς δόξης τῆς θείας* Rom. III, 28. in quam per peccata incidimus. Alii terminum a quo justificationis dicunt esse peccatum tam originale quam actuale. Intelligunt autem peccatum relative consideratum, videlicet respectu poenæ quam promeruit. Atqui hoc peccati meritum vulgo reatus nomine appellamus. *Ira* autem h. l. justitiam Dei vindicativam denotat, cujus effectus est poena peccatoris. Et sic *fili* iræ sunt homines iræ divinæ obnoxii, aut ad quos justitia Dei vindicativa, tanquam puniendos terminatur Eph. II, 3. quibus nihil aliud debetur, quam odium divinum & a facie Dei æterna rejectio, ut adeo res eodem redeat, sive dicas hominem obnoxium esse iræ divinæ, sive poenæ a Deo judice ex justitia infligendæ. Hic status ac reatus iræ seu poenæ per justificationem a subjecto, homine scilicet peccatore (non a Peccato) tollendus est. Nam quatenus homo intrinsece immutandus, ut ex peccatore fidelis, ac talis qui a reatu peccatorum, salva justitia divina, absolvi possit, reddatur, id ad regenerationem ejus seu conversionem pertinet. Hic autem actum Dei judicalem considerare tenemur. (2) *Terminus ad quem* justitia non quidem nobis inhærens, nostra tamen (& si aliunde in nos derivata, per *imputationem* scilicet *justitiæ Christi* 2. Cor. V, 21.) qua justi coram Deo habemur, ac si ipsimet Legem Dei implevissemus, & pro peccatis nostris satisfecissemus. Quo sensu Apostolus Phil. III, 9. de se justificatio dicit: *non habens meam justitiam, quæ est ex lege, sed eam, quæ est per fidem Christi, i. e. justitiam, quæ est ex Deo per fidem.* Itaque ad ipsum processum justificationis pertinet, quod Deus tanquam iudex hominis a lege accusati & de peccatis suis convicti, simul tamen in Christum credentis causam sic cognoscit, ut illum quidem propria justitia destitui, & mortis ac æternæ damnationis reum esse deprehendat, Christi meritum autem fide apprehensum ita ad eum pertinere judicet, seu ei imputet, ut propterea non amplius pro peccatore habeat, sed ab accusatione legis & obligatione a poena absolvat.

γ) Liberatio  
a lege: cujus  
Terminus a  
quo

§. XXVII. Tertius actus est LIBERATIO a LEGE Rom. VII, 4. Gal. II, 19. Coll. II, 13. 14. 20. Vide supra §. VII. lit. γ. Hujus (1) *Terminus a quo* est Rigor exactionis legalis duplex. *Unus* spectatur in quantitate obedientiæ postulatæ, quoad omnes partes & gradus semper  
cxa-



acutissimæ, ut quis non quædam, sed omnia præcepta, non aliquo modo sed ex toto corde & omnibus viribus servet, & hoc non aliquamdiu tantum, sed semper Matth. XXII, 37. Lev. XIX, 18. Gal. III, 10. *Alter est in modo exigendi, quo homines minaciter tanquam servos cogit ad obedientiam & propter illius defectum ad pœnas deposcit.* Unde Lex vocatur, *ut vos r̄s dicitur n̄q̄ r̄s dicitur peccati & mortis* Rom. II, 2. Lex (*α*) *Peccati*, quia per legem Mosaicam saltem indicatur peccatum, & ejus rigida exactione magis augetur, non quidem ipsius legis sed nostræ corruptionis culpa (*β*) *Mortis*, quia vitam & vires nobis non dat: ut præstare possimus, quæ a nobis exigit, sed tantum poscit, ut præstemus, undecunque vires accipiamus. Quia vero adipisci has non possumus, neque efficere quæ jubet, damnat saltem nos & occidit, & sic *inventum est mandatum, quod erat ad vitam, esse ad mortem* Rom. VII, 10. (2) *Terminus ad quem*, Lex Spiritus vitæ Rom. II, 2. h. e. *Evangelium de gratuita remissione peccatorum per & propter Christum.* Hoc dicitur (*α*) *Lex* ex phrasi hebrææ, in qua omnis doctrinalis Lex appellatur. (*β*) *Lex Spiritus* quia ex Evangelio spiritualis gratia in Christo, per fidem dans nobis immunitatem a rigore exactionis Legalis, proficitur. (*γ*) *Lex Spiritus vitæ* sive vivificans, quæ ipsa in nobis operatur quod exigit, & ideo ex mortuis vivos facit, cum e contrario de Lege Mosis dicatur, eam non posse vivificare Gal. III, 21. Hæc gratia Evangelii per Christum ab omni maledictione ac rigore legis nos liberat Rom. II, 2. nam pœna nobis luenda nulla est, quamdiu fide persistimus in isthac gratia, nec, dum Christus *suus legis est ad justitiam omni credentibus* Rom. X, 4. a nobis, in eum credentibus, debitum obedientiæ perfectæ, seu talis, per quam justificari ex lege deberemus, postulari potest, quia non ex lege justificari volumus, Christi que justitia nobis impuratur, aut, ut Apostolus loquitur, *ius legis in nobis impletur, qui non secundum carnem ambulamus, sed secundum Spiritum* Rom. II, 4. De cetero, sublata per Evangelium legis inexorabili severitate, damnatoria sententia & maledictione, horrendis comminationibus, rigida plenissima & omnibus numeris absoluta obedientiæ exactione, intoleranda coactione, nihilominus manet obligatio legis, quoad obedientiam, quam renati & justificati legi præstant libere non coacte. Si enim vivificamur *lege Spiritus vitæ* omnino efficitur in nobis per eandem Zelus ardentissimus vivendi secundum legem & voluntatem Dei. Certissime igitur sequitur, eos, qui in Christo Jesu sunt, non amplius jacere sub legis potestate & maledictione, & sic nihil damnationis aut mortis iis inesse.

§. XXVIII.



d) Renovatio,  
cujus  
Terminus a  
quo.

Terminus ad  
quem

§. XXVIII. Quartus actus est RENOVATIO seu Sanctifica-  
tio Rom. VI, 4. 5. 6. 13. 2. Cor. V, 15. Coll. III, 1-10. 1. Pet. II, 24. Vide su-  
pra §. VII. lit. d. Cujus (A) *Terminus a quo* sunt Reliquiæ peccati quæ  
post conversionem remanent; nempe defectus aliquis virium bonarum  
ex parte *intellectus* quidem ad cognoscenda vera spiritualia; ex parte  
*voluntatis* ad prolequenda bona spiritualia; ex parte *appetitus sensitivi* ad  
obsequendum superioribus facultatibus; simul etiam pronitas earundem  
facultatum animæ ad prava. Nempe etiam in renatis caro *concupiscit* &  
concupiscendo reluctatur *adversus spiritum*, seu adversus novas illas vires,  
quas Spiritus S. in actu conversionis aut regenerationis conferre coepit  
Gal. V, 15. Ex quo apparet, in *Intellectu* superesse pronitatem aliquam,  
licet non æque fortem, sicut ante conversionem, ad temeraria judicia de  
rebus spiritualibus: in *Voluntate* inclinationem quandam ad bona caduca  
spiritualibus præferenda: in *Appetitu sensitivo* propensionem aliquam ad  
bona sensibus grata etsi prohibita. Dicitur alias (α) *Homo vetus* Eph.  
IV, 22. non ratione substantiæ, sed qualitatum & accidentium vitiosorum  
ex antiquo lapsu, unde homo veluti cariem vetustatis traxit. (β) *Caro*  
*eum concupiscentiis suis* Gal. V, 14. Illud nimirum, quod in homine carnale,  
sive post lapsum per carnalem generationem ad ipsum translatum est, &  
quo a spiritualibus ad sensualia inclinatur. (γ) *Corpus peccati*, quod sit  
complexus plurium peccatorum veluti partium aut membrorum Rom.  
VI, 6. unde & *membra terrestria* appellantur variæ peccatorum species  
Col. III, 5. (δ) *Vetus vivendi & peccandi ratio*, quæ includit cum ipsum  
peccatum innatum, tum vitia male vivendo contracta. (B) *Terminus ad*  
*quem* sunt majores illæ vires spirituales, quæ post conversionem demum  
acquirendæ sunt, videlicet ex parte (α) *Intellectus*, plenior cognitio re-  
rum spiritualium, ut induamus novum hominem, qui renovatur ad agni-  
tionem congruentem imagini ejus, qui ipsum condidit Coll. III, 10. &  
sic exuberemus in agnitione omnique intelligentia Phil. I, 9. (β) *Volun-*  
*tatis*, perfectior sanctitas, ut *renovemur spiritu mentis nostræ induentes no-*  
*vum hominem, qui juxta Deum conditus est in justitia & sanctitate verita-*  
*tis* i. e. vera aut sincera Eph. IV, 24. Intelligitur autem justitia universalis,  
seu complexus omnium virtutum, quæ ad mores Christianos pertinent, &  
juxta duas decalogi tabulas, aut pro ratione methodi Theologiæ moralis  
juxta officia hominis circa Deum, Proximum, & Semetipsum varie dispelci  
solent. Brevem virtutum harum Syllabum videre licet Gal. V, 22. 23. 1. Tim.  
VI,



VI, 11. 2. Tim. II, 22. 2. Pet. I, 6. 7. In his omnibus quotidie nos exercere debemus, ita ut crescamus in Christo per omnia & in virum perfectum perveniamus, in mensuram ætatis plena adultæ Christi Eph. IV, 13. 14. i. e. ut quemadmodum ipse Dominus Jesus ab infantia suæ annis progressus quosdam fecit corroborato spiritu, proficiens sapientia & ætate & gratia apud Deum atque homines, donec ab uno ætatis gradu ad alterum in plenam ætatem virilem processit; sic & Christiani Spiritus incremento in fide & agnitione Christi in virum perfectum proficiant. Quod non de plena & omnimoda perfectione Paulus intelligit, quæ sine ullo defectu in altero demum expectanda seculo, inque homines post lapsum pro statu hujus vitæ & peccati originalis tenacitate non cadit, licet ad eam quotidie intendendum aut adspirandum sit per ipsam renovationem. Sed hæc tantum notatur perfectio, qua jactis fidei radicibus, homo neque hereticorum astutis, neque ullis Satanae fraudibus atque dolis a fundamento salutis Jesu Christi dimoveri potest, ut loquitur B. Egid. Hunnius Com. ad b. l. Aboleretur autem hic terminus a quo renovationis duplici ratione: (a) Quando homo, inito diligenti & accurato examine vitæ suæ, peccata post conversionem admissa aut residua sollicitius observat & retrahat per seriam illorum dispendentiam ac dolorem. Dicitur hoc phrasi Scripturæ, deponere (ἀνοθεύειν) velut vestimentum detritum, sordidum, lacerum) juxta priorem conversationem veteris hominis Ephes. IV, 22. exuere illum cum factis suis Col. III, 8. crucifigere (i. e. lento velut ac doloroso cruciatu conficere) carnem cum concupiscentiis suis Gal. V, 24. mortificare (i. e. dare operam, ut vim & vigetiam suam amittant) membra terrestria Col. III, 5. Ut enim peccatum in hac vita nunquam penitus & radicitus extirpari possit, minui tamen, infirmari, & quantum fieri potest expelli debet, juxta monitum Apostoli Col. III, 5. 10. (β) Quando in exercitio actuum spiritualium quorumvis occupatur juxta varia virtutum Christianorum genera. Quo pertinet renatorum iusta adversus carnem. Neque enim prava concupiscentia facile patitur se crucifigi, mortificari &c. semper potius dantur nifus ejus aut conatus contrarii. Atque ita simul ad acquisitionem termini ad quem renovationis tenditur, quando per crebriores actus intellectus & voluntatis vires spirituales antea collatæ augentur & incrementa capiunt, ut ad pleniorum perfectionem habitualement pertingant. Sic Paulus Timotheo: Exerce (γυμνάζειν) instar athletæ te ipsum ad pietatem 1. Ep. IV, 7. Alias cursoribus comparat Christianos, 1. Cor. IX, 24. & Phil. III, 13. exem-



emplo suo ad imitandum proposito: *Ego, ait, me nondum arbitror affectum esse (perfectionem scilicet debitam, de qua loquitur v. 12.) unum autem illud ago, ea quidem quæ a tergo sunt obliviscens, ad ea, quæ a fronte sunt enitens (ἐπιτινέσκω)* i. e. prono aut præcipiti corpore ad anteriora, instar currentium ad metam, protensus. Nempe in iis, quæ pridem affectus erat non subsistebat, sed ad uberores subinde prolectus & ad perfectionem contendebar. Et cap. IV. 8. 9. scribit: *quæcunque sunt vera, honesta, pura, accommodata, bonæ famæ, si quæ virtus & laus, hæc cogitata.* Idem hortatur Colossenses cap. III. v. 1. 2. 3. *Si resurrexistis cum Christo, superna querite: ubi Christus est, superna curate, non terrena.*

Modus.

§. XXIX. Ut igitur forma seu ratio formalis resurrectionis spiritualis consistit partim in ipsa fidei donatione, partim in remissione seu non imputatione peccatorum, partim in liberatione a maledictione & rigida legis exactione, partim in mortificatione veteris, & vivificatione novi hominis; ita si MODUM ejus spectes, fit illa (1) *Successive*. Nam licet ipsa ζωοποίησις, ratione collationis fidei, justificationis, ac liberationis a coactione legis, vel quatenus præcise notat translationem ex statu iræ in statum gratiæ, sit momentanea, ac uno instanti fiat, cum impossibile sit, ut subjectum aliquod vel per momentum sit simul in statu iræ & in statu gratiæ, simul sub vita & sub morte, ratione tamen *renovationis* & in quantum comprehendit omnes motus a gratia Dei provenientes & ad vitam illam spiritualem, sive antecedenter, sive concomitanter, sive consequenter directos, successivis actibus sese exerit: quia placet Spiritui S. pro liberatione sua voluntate pedetentim hic progredi, ita ut requiratur non parum temporis, quo mortificetur vetus, ac vivificetur novus homo. Pluribus hoc prosequitur B. Chemnitius *Loc. de lib. Arbitr. f. 119.* inter alia scribens: *Regeneratio seu Renovatio (ad vitam spiritualem) non est talis mutatio, quæ uno momento statim omnibus suis partibus absolvitur, ac perficitur, sed habet sua initia, suos progressus, quibus in magna infirmitate perficitur. (2) Efficaciter*, ob verbi, per quod in nobis efficitur, virtutem, potentiam & efficaciam Rom. I, 16. Heb. IV, 12. Distinguendum vero inter efficaciam resuscitandi, quam verbo tribuimus, in actu primo & secundo, sive exercitio spectatam: item inter effectum verbi per se & per accidens. Gratiæ Dei resuscitans in se semper efficax est, licet non semper actu secundo se exerat, ob repugnantiam subjecti resuscitandi: Imo per accidens & ex mañtia hominum haud raro contrarium effectum producat. Nam ut *ὁ υἱὸς τοῦ σὺν*

Fit.  
a) Successive.

b) Efficaciter



ζωήσιν est odor vitæ ad vitam, sic ἂν τοῖς ἀπεθνήσκουσιν sit odor mortis ad mortem 2. Cor. II, 16. Unde videmus Evangelium, si recte prædicetur, nunquam plane inefficax esse, sed suum semper effectum apud bonos & malos habere. Qui obsequuntur ministerio verbi, convertuntur & salvantur; malitiosi vero ac Dei operationem non admittentes, tanto pejores ac insanos evadunt: ille est effectus verbi per se, hic per accidens (3) *Resistibiliter*, quatenus homines non solum mediis resurrectionis spiritualis eorumque viui externo, sed & ipsi gratiæ resuscitatrici intrinse-

(γ)  
Resistibiliter.

cus operaturæ malitiose repugnare possunt, ac sæpe repugnant, & ita resurrectionem suam spiritualem vel statim in initio, vel in progressu impediunt. Nimirum si *strictè* accipiatur pro *initio* conversionis, hoc est pro collatione virium spiritualium ad credendum, non negandum est irresistibiliter Deum agere. Hæc enim gratia præveniens & excitans est illa *ἰσχυρὸν ἄνωθεν*, quam Patres veteres vocant, cujus radii in cor hominis projecti non tantum *inevitabiliter*, quia non possunt impediri ne oriantur; sed & *irresistibiliter* ratione *originis & sensus*, quia cum Deus operatur in nobis vitam spiritualem, quoad vires credendi, nos resuscitare incipit, & vitales actiones inspirat, nec non ad usurpationem illarum excitat: ad quas homo se mere passive habet, easque necessario sentit, uti patet exemplo Felicis Act. XIV, 25. Sin *laxe*, pro conversionis non tantum *initio* sed *progressu*, in quo ad exercitium virium supernaturalium excitatus homo per gratiam cooperantem ipse resurgit ex morte spirituali, resistibiliter cooperari Gratia divina censenda est. Non enim hoc necessitatis est, sed libertatis. Libere enim homo vivificatus a morte spirituali resurgit, ita ut possit etiam non resurgere, & obicem maliciosum efficaciam verbi resuscitatrici ponere.

Subiectum  
Quod

ratione  
Regenerationis,



Operationi Spiritus S. vivificatrici contumaciter non repugnans. Nam, qui secus agunt & multiote repugnant (quod utique possunt & aliquando solent homines adulti) tamdiu non resuscitantur a morte spiritali, atque adeo ipsi sunt in causa (γ) *Citra differentiam etatis*. Quotquot enim baptizati sumus in Christum Jesum (sive infantes sive adulti) in mortem ejus baptizati sumus; Consepulti igitur sumus ei per baptismum in mortem, ut sicut suscitatus est Christus ex mortuis in gloriam Patris, ita & nos cum Christo resurgamus Rom. VI, 3. 4. (δ) *Sive vitam spiritualem nunquam habuerit*. Prout infantes in peccato originali concepti & nati, & adulti Gentiles ac Judæi ad vitam spiritualem renascuntur. (ε) *Sive per peccata mortalia hanc vitam rursus amiserit, quam habuerat*. Talis denuo vivificandus, non iterum baptizari, sed per verbum legis & Evangelii ad poenitentiam reduci, & sic fides in ipso rursus accendi debet; qua ratione etiam fructus baptismi aliquandiu interceptus restituitur. (B) *JUSTIFICATIONIS*, Homo peccator sed Conversus. DEUS enim *justificat impium* Rom. IV, 5. sed non quatenus impius est ac manet; sed impium, qui poenitentia ductus, peccata admissa retractavit, & Christi satisfactio- nem pro peccatis fide apprehensam velut *ἀντιποινα* pro peccatis suis Deo exhibuit. *Nobis*, inquit Apostolus, *credentibus in eum, qui excitavit Dominum nostrum Jesum Christum ex mortuis, traditum propter peccata nostra, resuscitatum autem propter justificationem nostram, imputabitur justitia Dei* Rom. IV, 24. 25. *Alias enim Deus odit operantes iniquitatem* Psal. V, 5. *& qui non credit filio, super eum manet ira Dei* Joh. III, 36. (C) *LIBERATIONIS AB EXACTIONE LEGALI* (α) *Homo mortuus cum Christo*. Col. II, 20. *Si mortui cum Christo, liberi estis ab elementis mundi*. Mortuum autem esse cum Christo, est mortis Christi cum omni merito participem esse per fidem, ac omnibus ejus fructibus gaudere, v. 13. vel (b) *Homo mortificatus Legi in Christo* Rom. VII, 4. *Vos etiam, fratres mei, mortificati estis legi in corpore Christi: ut sitis alterius, ejus videlicet, qui ex mortuis suscitatus est*. Alibi (Gal. II, 19.) de seipso dicit: *Ego per legem* (fidei h. e. doctrinam gratiæ Rom. III, 27.) *Legi* (Mosaicæ maledicenti, cogenti, & omnibus numeris absolutam obedientiam exigenti) *mortuus fui, ut Deo, viverem*. Sed in loco prius allegato ex Rom. VII, 4. scribit: nos legi, non mortuos, sed mortificatos esse, ut indicet, aliunde hanc a legis maledictione & coactione liberationem dependere, quam a nostris viribus. Mortificati autem sumus legi per *Corpus*

(β)  
Justificationis

(γ)  
Liberationis ab  
exactione legis



*pus Christi*, cum ejus passione ac morte lex, quoad maledictionem & coactionem, abrogata & occisa fuit, ut non magis ad nos spectet, ac maritus mortuus ad eam, quæ illius uxor fuit. Conf. com. 1. 2. 3. Nobis autem non licet absque marito vivere, sed, mortuo illo, alii nubere debemus, & ei quidem, qui ex morte resurrexit, novasque nobis vires dat, ut ex hoc novo marito & ex cœlesti ejus femine meliores fructus feramus. (D)

**RENOVATIONIS.** *Homo peccatis mortuus.* Mōri dicimur peccatum per justificationem, quatenus peccatum, propter Christi meritum fide apprehensum nobis remissum, non amplius coram Dei judicio nos accusat; tum per renovationem, quatenus renati peccatum in carne sua mortificant, ejus vim ac impetum per Spiritum S. reprimunt, ne in illis dominetur & vivat. Utramque hæc phrasi subindicat Apostolus Rom. VI, 2. *Qui mortui sumus peccato, quomodo adhuc vivemus in illo?* Qui semel mortuus est, is amplius non vivit. Jam Christus propter peccatum mortuus est, & quidem nostri causa: quod vero nostri causa fecit, nos in ipso fecimus, & sic cum illo peccatis mortui sumus. Si itaque hoc modo mortui sumus & semel declaravimus, nos peccato mortuos esse, cur denuo ad peccata converteremur, ipsisque de novo serviremus, videremur poenitere, nos Christianos factos esse, ibid. v. 7. *Qui mortuus est justificatus est a peccato.* Sicuti, qui vere mortuus est, deposuit peccatum, neque eogi a peccato potest, ut ei serviat, ita qui mortuus est peccato, justificatus etiam ab eo est, ut nihil contra eum proficere possit. Paulinum hoc expressurus Petrus I. Ep. II, 24. Christum non solum ideo in cruce mortuum scribit, ut peccata nostra expiaret, eorumque condonationem nobis impetraret: quod beneficium ad regenerationem & justificationem pertinet; sed etiam ut peccatum in nobis mortificaret, & ad vitam justitiæ & sanctæ conversationis nos reformaret: quod sanctificationem ac renovationem concernit. Repetit etiam principalem propositionem, ut quia per Christum & in Christo sumus peccatis mortui i. e. a peccatorum reatu ac dominio liberati, in posterum nihil commercii cum peccato habemus, sed justitiæ vivamus h. e. opera justitiæ exerceamus.

§. XXXI. SUBJECTUM QUO aut secundum QUOD Subjectum  
homo in calu obliquo resuscitari dicitur, est *Anima Hominis*, Quod  
nec tamen quoad omnes suas facultates, sed tantum quoad *Intellectum*,  
*Voluntatem & Appetitum sensitivum.* In quo enim est Resusci. Facultates  
tationis spiritualis terminus a quo & ad quem, illud ejus est subjectum animæ.



cum  
Membris Cor-  
poris,

quo. Sed in Intellectu, Voluntate, & Appetitu sensitivo est Mors & vita spiritualis veluti terminus a quo & ad quem istius Resurrectionis. Vid. supra §. XXIII. & XXIV. Ergo Vegetativa autem facultas, merè naturalis, nec ullo modo rationis particeps, resurrectionis spiritualis capax esse non potest. Quod vero Membro corporis attinet, nec illa per se huc pertinent, licet ex consequenti quartus actus resurrectionis spiritualis, Renovatio seu Sanctificatio in ea redundet, ac sanctificata dici possint, quatenus animæ Sanctificatae vel novi hominis instrumenta sunt, ad obeundas actiones sanctas necessaria. Quo referri potest locus 1. Thess. V, 23. *Ipsè autem Deus pacis sanctificet vos totos & integer vester Spiritus & anima, & CORPUS inculpate in adventum Domini nostri Jesu Christi serventur.* Item Rom. VI, 12. 13. *Ne regnato peccatum in mortali vestro corpore, ut obediat peccato in cupiditatibus corporis. Neque sislite membra vestra arma injustitiæ peccato; sed sislite vos Deo, ut ex mortuis vivos, & membra vestra arma justitiæ Deo.* Et v. 19. *sicut sislitis membra vestra serva impuritatis & iniquitatis ad patrãdam iniquitatem: ita nunc sislite membra vestra serva iniquitatis ad sanctimoniam.* Dicit: Paulus Col. III, 5. *mortificare jubet membra nostra terrestria.* Ergo in membris corporis residet etiam vetus homo, quo extincto novus resurgit, & consequenter ipsam quoque corpus erit resurrectionis spiritualis subiectum quo Resp. Quid per membra terrestria d. i. intelligatur ab Apostolo, explicatur ibid. nempe, *seortatio, impuritas, mollities, cupiditas mala, avaritia &c.* quæ dici videntur membra nostra per metaphoram, quod sint quasi partes & membra veteris hominis vel peccati in nobis habitantis. Et quidem membra terrestria dicuntur, quod membra corporis determinent ad sectanda, non *tà àvo* seu *superna*, sed *tà ènì tñs yñs terrena*, v. 1. 2. Interim illa omnia subjective sunt in anima, & exerunt se in corpore, mediante anima, & quatenus id animæ instrumentum est, non quidem, ut Chrysostomus ad Col. III. Hom. IIX. observat, *secundum se sumta*, sed *κατὰ ἀποχρῶν καὶ ὑποεσθῶν*, i. e. *ratione turpitudinis ac deformitatis*; quæ ei conjuncta, cujus quasi Cor, est ira; *Ois*, blasphemia; *Oculi*, fornicatio, avaritia; *Pedes & Manus*, mendacium, cogitatio ipsa.

Ipsè igitur Ho-  
mo ex morte  
spirituali resur-  
gic.

§. XXXII. Quamvis autem homo animalis & in peccatis mortuus, omni principio salutaris ac spiritualiter vivifici motus destituatur, & nihil quicquam active conferat aut conferre possit ad sui vivificationem intrinsece inchoandam & perficiendam, seu ad actus vitæ spiritualis exercendos (modus enim hi non nisi a Deo Spiritu sunt Joh. III, 8. *Deus operatur*



*tur in nobis & velle & perficere* Phil. II, 13. *dat pœnitentiam* 2. Tim. II, 25. *ablato lapideo, cor novum donat, spiritumque novum in medio nostri ponit* Ezech. XXXVI, 26. Verbo: *mortuos in peccatis vivificat* Eph. II, 1. nihilominus per Resuscitationem transitivam sic a Deo motus homo se vicissim, istis viribus acceptis, movet, & ad vitam spiritualem quotidiana pœnitentia resurgit: Postquam enim Spiritus S. hominem in peccatis mortuum vivificavit, homo ipse per fidem in Christum vivere incipit vitam spiritualem. *Postquam me convertisti (vivificasti,) egi pœnitentiam* h. e. spiritualiter resurrexi Jer. XXXI, 24. Spiritus S. equidem cor conterit, sed homo ita contritus, non ipse Spiritus S. peccata agnoscit, Spiritus S. fidem accendit, sed Homo, non Spiritus S. credit. Deus hominem a reatu & dominio peccati & a coactione legis liberat, sed Homo, non Deus, *per legem legi mortuus est*, ut Deo vivat Gal. II, 19. *etique in novitate Spiritus, ac non in vetustate literæ serviat* Rom. VII, 6. Unde proprie loquendo Homo nullo modo est principium resurrectionis spiritualis, tanquam naturali instinctu provocans aut eliciens vitam spiritualem, sed tantum *subjectum patiens*, quoad receptionem facultatis resurgendi; *agens* autem quoad exercitium, sed per recens acceptas vires supernaturales, non naturales. Neque enim subjectum denominationis, quod ex morte ad vitam spiritualem resurgere dicitur, Deus est, sed Homo. Vide hoc egregie contra veteres & recentiores *Pelagianos* deductum a Majoribus nostris in *Form. Conc. ejusque Sol. Declar. Artic. II. de Lib. Arbitr. f. 580. & 677.*

§. XXXIII. Resuscitationis *activæ* EFFECTUS *generalis* est Resuscitationis *activæ* Effectus *Generalis*. Resuscitatio *passiva*. Nam ut Deus vivus *resuscitare* Eph. II, 6. ita homo in peccatis mortuus *resuscitari* Col. II, 12. dicitur. Sic Ephraim orat Deum apud Jerem. C. XXXI, 8. *Converte (resuscita) me Domine & (ego) convertar* s. resuscitabor. Illa vocari potest Resuscitatio *transitiva*, quia non in ipso Deo agente terminatur, sed ab eo in aliud subjectum transit, nempe in Hominem in peccatis mortuum; Hæc, *intransitiva*. Quamvis enim actus, per quos homo vivificatus resurgere dicitur a morte peccati, a Spiritu S. efficienter dependeat; quia tamen suo modo sunt actus intellectus, voluntatis & appetitus sensitivi, nec a potentiis, quarum actus sunt, in aliud subjectum transeunt, sed in illis ipsis terminantur, hoc respectu in immane, tum seu intransitivorum actuum censum veniant. Interim hæc *intransitiva* cum illa *transitiva* Resuscitatione quoad rem una & eadem actio est. Semper enim importat spiritualem in homine *mutationem*, qua



qua is a Spiritu Dei vivificatus viribus quidem non suis, sed Gratiae resuscitatoris eo perducitur, ut fide in Christum se rursus erigat, & ita Christi merito a legis maledictione & exactione, a reatu & dominio peccati liberatus non sibi sed Christo vivat, & ut nova creatura in novitate vitae ince-

Specialis.

dat. Vide supra §. IIX. & immediate præcedentem §. XXXII. Effectus *Specialis* coincidit cum termino ejus ad quem. *Vita* scilicet *spirituali* totaliter accepta. Hujus enim acquirendi gratia fit Resuscitatio mystica. Et quia de illo jam §. XXIV. egimus, lectorem eo remissum cupimus.

Finis  
ex parte Dei  
Ostensio Gra-  
tia Divinz.

§. XXXIV. FINIS Resuscitationis spiritualis duplex est: alius ex parte *Dei resuscitantis*, alius ex parte *Hominis Resuscitati*. Ex parte *Dei* est *Ostensio divitiarum Gratiae divinae*, juxta illud Apostoli Eph. II, 4. 5. 6. 7. *Deus nos in peccatis mortuos una vivificavit cum Christo, unaque suscitavit* (NB.) *ut ostenderet in seculis supervenientibus supereminentes illas operis suae gratiae pro sua erga nos benignitate in Christo Jesu.* Succedentia secula (*αἰῶνας τῶν ἐπιερχομένων*) Chrysostomus, Theodoretus, Ambrosius, Theophylactus, quos e recentioribus sequuntur Erasmus & Grotius de futuro seculo, i. e. altera vita interpretantur, ubi omnes sint cognituri bona, quæ nunc incredulis videntur nugæ. Sed rectius alii de *hujus mundi seculis superventuris* exponunt, ut sensus sit: Deum tam mirifica fecisse in Judæis ac Gentilibus in peccato mortuis, ut omnibus, quorquod usque ad consummationem seculi futuri sunt, posteris, in illorum salute luculentum specimen immensæ suæ bonitatis atque gratuitæ benevolentiae præbuerit; unde peccatorum & indignitati conscientia consternati erigerentur, ne ob ulla, quamvis magna & multa peccata, de Dei gratia desperarent, sed ad Christum a mortuis excitatum, & ad dextram Dei sedentem confugientes, firmiter crederent, non minus sibi in opibus divinx bonitatis præsidium esse paratum, quam illis, seque non minus quam istos eadem gratia absque ullo suo merito in Christo vivificatos, & resuscitados olim transferendos esse in cœlestis regni gloriosam communionem. Quomodo pulchre hic locus respondet alteri qui est 1. Tim. I, 16. tibi Paulus de seipso: *ideo misertus est mei, ut in me primo ostenderet Jesus Christus omnem clementiam, ut essem exemplar credituris in eum ad vitam æternam.* Nempe voluit Deus in Ecclesia in credentibus ostendere divitias gratiæ suæ, quam illa abundans esset ac supereminens, amplior scilicet, quam quis cogitare potuisset 1. Cor. II, 9. Vide post alios plures Dn. D. Seb. Schmidium in *paraph. Epist. ad Eph. f. 14.*

§. XXXV.



§. XXXV. Ex parte Hominis Spiritualiter resuscitati finis non unus datur, sed multiplex, utpote (a) *Ambulatio in vita nova*, Rom. VI, 4. *Consepulti sumus ei per baptismum in mortem, ut, sicuti resuscitatus est Christus ex mortuis in gloriam Patris, ita & nos in nova vita ambulemus.* Mortem peccati confert in mysterio mortis Christi, novitatem vitæ ejus resurrectioni. Ex eo, scilicet ut bene Coccejus ad h. l. Tom. IV. Opp. f. 457. commentatur, quod in Christo actum est, deducit Apostolus id, quod in nobis per Gratiam agendum est: *Christus revivixit & surrexit. Etiam nos igitur reviviscamus & resurgamus, & in novitate vitæ ambulemus.* Nemo liberatur a morbo, cui non redeat sanitas: nemo a morte, quin vivat; sic & nemo desinit vivere in peccato, quin vivere incipiat in justitia & sanctitate. Quemadmodum morti Christi connexa est ipsius vita & resurrectio; ita morti, qua mortui eramus in peccatis, & multo magis morti, qua morimur peccato, conjuncta est vitæ novitas. Unde pergit Apostolus v. 11. *Ita & nos existimate, nos mortuos quidem esse peccato, viventis autem Deo in Christo Jesu Domino nostro.* Mortui sumus cum Christo peccati reatui; morimur etiam domino, dum desinitus esse, quales antea fuimus. Sed neququam in his duobus terminatur gratia. Deo etiam vivere, & opera vitæ vere divinæ ac spiritualis facere debemus, ita ut cum antea in vita naturali secundum carnem vixerimus, & cupiditatibus nostris perversis indulserimus, jam non amplius isto modo, sed Deo vivamus, omnesque actiones nostras ad Dei gloriam dirigamus. Nam ipsius sumus opus, conditi in Christo Jesu ad bona opera, quæ præparavit Deus, utinam ambulemus Eph. II, 10. (β) *Obedientia legi divine sponte & ex amore Christi præstita.* De quo sine egregie Paulus Rom. VII, 4. 5. 6. *Vos quoque mortificati estis legi in corpore Christi, ut sitis alterius, ejus videlicet, qui ex mortuis suscitatus est, ut fructum feramus Deo.* Cum enim essemus in carne, effectus peccatorum per legem vivebant in membris nostris, ad fructum ferendum morti. Nunc autem liberati sumus a lege, mortuo eo, in quo detinebamur, ut serviamus in novitate Spiritus ac non in vetustate literæ. In judicio nempe divino nobis credentibus mors Christi satisfactoria sic imputatur, quasi nos ipsi mortui pro debitis nostris legi satisfecerimus, ita quidem, ut jam non amplius obligati simus legi, ad præstandam perfectam sine omni peccato etiam inhærente obedientiam (cum hæc pro nobis a Christo sit præstita) sed ipsi, qui pro nostra justitia ex mortuis resuscitatus est, Christo, ad servendum Deo, non in vetustate literæ (h. e. quantum litera veteris legis a nobis requirit, perfectam præceptorum suorum impletionem rigoroſe exigens, quæ nobis tamen

G

in-

Ex parte Ho-  
minis  
α) Ambulatio  
in Vita nova.

β) Obedientia  
Legi divinæ  
sponte præstita.



(γ) Cura re-  
rum Coele-  
stium.

impossibilis est.) sed in novitate Spiritus (h. e. quantum a nobis per novas vires a Spiritu S. donatas, licet imperfecte, fieri potest) atq; adeo imposte- rum fructus quidem bonos bonorum operum faciamus, quantum possu- mus, non legi tamen, ad implendum eam perfecte, sed Deo, gratitudinis ergo, propterea quod Christum pro nobis dedit & suscitavit, & nos filios suos fecit. (γ) *Cura rerum caelestium* Col. III, 1. 2. Itaque si resurrexisti cum Christo (Confer cap. II. v. 12. 13.) *superna querite, ubi Christus est, ad dextram Dei sedens superna curate, non terrestria.* Licet *τὰ ἀνω χριστιαν.* & *τὰ ἀνω φρονεῖν*, materialiter idem sint, formaliter tamen non nihil differunt. *χριστιαν.* querere, non tantum est investigare, ut sciatur; sed *studere* imprimis & omnibus viribus anniti, ut habeatur. *φρονεῖν* autem *sensum, intentionem, propositum mentis* designat, quando alicui res aliqua deo placet, ut tota mente in eam intentus sit, unde studium & labor, *τὰ ἀνω superna* h. l. naturam & statum rerum significant, quæ e supernis sunt, & ad Deum, regnum Dei, justitiam, novitatem vitæ, pacem & gaudium Spiritus S. pertinent, ad quorum notitiam & fructificationem per Evangelium vocamur. Unde additur: *Ubi Christus est, in dextra Dei sedens.* Non enim locus aliquis sup- premi caeli intelligendus, ubi Christus contineatur, sed istiusmodi status, in quo ista superna præsens administret, ac suis fidelibus dispense. U- bicunque igitur *τὰ ἀνω* fuerint, sive in caelis & Ecclesia triumphante, sive in terris & Ecclesia militante, ibi semper Christus est, dans illa, dispen- sans, administrans, inque iis regnans. Patet hoc amplius ex opposito; *μὴ τὰ ἐπι τῆς γῆς.* Certe *terrena, seu quæ super terra esse dicuntur* hic non considerari possunt ratione *loci* tantum; alias Ecclesia in terris militans, & coetera quæ in ea sunt & ad regnum Christi pertinent, fugienda essent; sed ratione *status* in regno Christi, quod non est *de hoc mundo* Joh. XIX, 36. Includuntur ergo omnes creaturæ hujus mundi, cibus, potus, vestitus, feræ, opes, honores, facultates, & omnes hominum actiones extra Chris- tum spectatæ, ipsi homines & Angeli, quatenus salus in iis & compla- centia Dei quaeritur. Hæc singula, egena, infirma, & nullus momenti sunt. (δ) *Ius & spes viva ad hereditatem æternam*, 1. Pet. I, 3. 4. *Deus regnavit nos per resurrectionem Christi in spem vivam, ad hereditatem, quæ nec corrumpi, nec contaminari, nec marcescere potest, vobis in caelis serva- tam.* Per *spem vivam* intelligimus spem firmam, non languidam, quæ *παροργισίας* habet ac *πῶροισθῆναι*, nec *καταχθῆναι*, Rom. V, 5. Spem per- petuam & semper exhilarantem, quæque non interimitur, sed indes re- novabitur, h. e. manet in eo, qui eam habet, nec ipsam, relinquit Hebr. III,

(δ)  
Ius ac Spes ad  
V. A.



6. 14. Ideo spei fidelium *πληροφολα* tribuitur Hebr. VI, 11. c. X, 22. Spem, quæ sit *vita* hominis, sive qua vivit homo, a Deo ad vitam spiritualem re-  
 genitus. Nam ut vivificamur ad fidem, ita etiam ad spem, quia in fide  
 est spes. Credimus enim in Christum ut Salvatorem & Datorem justitiæ  
 ad vitam æternam. Et inde qui credunt in Christum, *non tantum in hac  
 vita sperare dicuntur in Christum* 1. Cor. XV, 19. Ac fides vocatur  
*ἐπίστανσις τῶν ἐπιζωσέντων* Hebr. XI, 1. prout nempe versatur circa pro-  
 missionem rerum futurarum. Siquidem per fidem de pace, gratia, &  
 communionem æterna cum Deo pacificimur. Objectum spei hujus est  
*κληρονομία ἀφθαρτος καὶ ἀμίαντος*, quia non versatur circa id quod  
 perdit, corrumpi, auferri, inquinari, vel marcescere potest: hoc enim  
 pugnat cum spe viva, quæ semper exhilarat & vivificat; cum res terrena,  
 quando corrumpitur, contristet; quando perperam amatur, fiat impura;  
 quando marcescit, emori & marcescere spem faciat. Dicitur porro *hæ-  
 reditas τετηρησὺν ἐν βραχίονι*. Est enim Spiritualis, & Spiritus nostri  
 hæreditas, quæ consistit in eo, ut *cognoscamus Deum, quemadmodum nos  
 cognovit* 1. Cor. XIII, 12. Sed hæc cognitio demum in cœlis datur. Sem-  
 per autem repetendum, eam competere iis, qui sunt regeniti ad spem  
 vivam, quique adeo in spe vivunt, & amant Christi *ἐπιφάσεις*. 2.  
 Tim. IV, 8. & quærent hæreditatem illam incorruptibilem. Ii enim soli  
 possunt dicere: *hanc sibi servari in cœlis*. Paulus ea de re sic loquitur.  
 Col. III, 3. *Mortui estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo*.  
 Nimirum ut Christus in Deo vivit; ita & nos cum Christo per fidem in  
 Deo vivimus. Sicut autem Christi vita in Deo nunc est occulta, & non  
 patet omnibus; sic & nostra vita in Deo nondum est manifesta, dum,  
*quid futuri sumus, ignoramus* 1. Joh. III, 2. Quemadmodum vicissim suo  
 tempore Christus revelabitur vivens; ita & nos cum ipso manifestabi-  
 mur in gloria, quia Christus est vita nostra, h. e. is, qui facit nos vivere per  
 meritum & efficaciam Spiritus sui, a cujus vita nostra dependet.

§. XXXVI. AFFECTIONES resuscitationis transitive sunt (1) Affectiones  
 NECESSITAS in ordine ad salutem. *Nisi enim quis renatus fuerit* (ad vi- Resuscitatio-  
 tam spiritualem) *a spiritu, non potest ingredi in regnum celorum* Joh. III, 5. nis transitive.  
 6. Nec negari potest necessitas regenerationis hujus, admisa fidei, quæ 1.  
 non nisi donatione divina obtingit, necessitate ad salutem, justificationem, Necessitas.  
 nem, liberationem a legis maledictione & coactione, renovationem &  
 sanctificationem. (2) *Efficacia perennis*, quantum est ex parte Dei, vel 2.  
 quod Deus vitam spiritualem, quam in regeneratione contulit, durabi- Efficacia,  
 lem



lem dedit, eamque sua gratia porro, & ad finem usque vitæ conservaturus est, nisi homo ipse culpa sua eam excusserit. *Christi enim consores facti sumus, si modo principium illud, quo sustentamur, firmum retinuerimus ad finem usque* Heb. III, 14. Unde Paulus te persuasum esse dicit, quod qui cepit in nobis bonum opus, perfecturus sit, usque ad diem Jesu Christi Phil. I, 6. (3) *Defectibilitas* ex parte hominum, ut scilicet qui spiritualiter vivere coeperunt per Spiritum Dei & Christi in se habitantem, mox autem secundum carnem vivere non erubuerunt, denuo moriantur in peccatis suis: atque adeo gratiam non modo justificationis & liberationis a coactione legali, sed & renovationis ac regenerationis excutiant Rom. VI, 13. (4) *Irerabilitas*. Potest filius Dei mutari in filium Belial, & hic rursus in filium Dei. Unde Paulus reparturitionem asserit Gal. IV, 19. *Filioli mei, quos iterum* (ad vitam spiritualem, ut causa ministerialis) *parturio*. Dum se illos iterum *parturire* dicit, defectionem ipsorum innuit, q. d. magno labore ac sudore contendo, ut pristina Christi facies, quam turpi vestra defectione amisistis, in vobis reparetur. Sicut enim resuscitatio spiritualis inchoatur, cum in peccatis mortui vivificantur & convertuntur; sic iteratur, cum lapsi a peccatis mortalibus ad vitam spiritualem revocantur.

Resurrectionis  
Adjuncta: Necessitas.

2)  
Mandati.

§. XXXVII. Resurrectionis seu Resuscitationis intransitivæ ADJUNCTA sunt *Necessitas, Possibilitas, Imperfectio, & Continuatio*. NECESSITAS duplex datur: *Una mandati* Ephes. V, 14. *Excitare qui dormis, & resurge a mortuis, & illucescet tibi Christus*. Hic verba mandati *excitare, resurge*, si explicentur *legaliter*, ostendunt quid debeamus, non autem quid possimus facere; quid a nobis secundum legem Dei requiratur, & quid potuerit homo ante lapsum per naturam: & sic nostram potius post lapsum a *divoculaz* accusant, quam quid præstare valeamus ostendunt. A mandato igitur ad naturales Liberi arbitrii vires non valet consequentia. Si vero *Evangelice* accipiantur, sunt hæc ipsa verba efficax medium ac organon resurrectionis spiritualis in non præfracte repugnantibus. Per Verbum enim suum vivum & efficax Deus in nobis hoc perficit, quod a nobis requirit. Mandat, ut mandando nos excitet & moveat ad faciendum id, quod ipse vult in nobis efficere. Deinde contextus ostendit de regenitis & spiritualiter vivificatis, seu viribus resurgendi jam instructis hic sermonem esse, quorum socordiam vult excitare Apostolus, ut continuent graviter, quod Spiritus S. in iis coeperat feliciter. Tandem cum addit: *& illucescet tibi Christus*, videmus, quod lux Christi non



non tantum expurgati faciat eos, qui in nocte tenebrarum dormiunt, ac  
 suscitet istos, qui spiritualiter sunt mortui, sed etiam illucescat iis, vitæ spi-  
 ritualis lucem affundendo. Etsi enim *Christus illuminet omnem hominem,*  
*in hunc mundum venientem* Joh. 1, 9. quoad intentionem divinam, non ta-  
 men actu omnes illuminatione mystica potiuntur, sed alios Epicureos  
 Dei contemptus, alios Pharisæica propriæ justitiæ arrogantia superni fulgo-  
 ris gratia misere orbat. Verbo: Sicuti Christum resurgere oportebat ob  
 vaticinia Prophetarum; ita spiritualis Resurrectio in nobis requiritur ob  
 præcepta Apostolorum. Altera *Rei*, & quidem (α) ut *veritatem fidei no-*  
*stræ de Resurrectione Christi demonstremus.* Nondum enim fide  
 suscepimus resurrectionem Christi, si divinam & coelestem vitam agere  
 nondum institimus. Si *resurrexistis cum Christo, superna querite* Coll.  
 III, 1. sq. Sicuti per fidem Christum in nobis concipi, nasci, pati, mori,  
 ita etiam resurgere ac vivere oportet. Qua de re præclare Lutherus *Postill.*  
*Eccl. Part. II. Fer. IV. Pasch. ad Col. III. 1. sqq. edit. Witteb. 1544. f. 27.*  
*a. b.* So ihr nun, (spricht er) die Auferstehung Christi mit dem  
 Glauben gefasset und derselben Krafft und Trost empfangen habt, und  
 also mit Ihm auferstanden seyd, so muß sich ja solches an Euch beweis-  
 sen, daß Ihr es fühlet, und bey euch gespüret werde, wer es in euch ange-  
 fangen habe zu würcken! daß es nicht alleine Wort, sondern Wahrheit  
 und Leben sey, denn welche es nicht also empfinden, denen ist Christus  
 noch nicht auferstanden, ob er wohl für seine Person auferstanden ist,  
 denn sie haben dieselbe Krafft nicht bey ihnen (welche heist, mit Christo  
 auferstehen) daß sie auch mit der Wahrheit mögen heissen, beyde verstor-  
 bene und auferstandene Menschen, darum will er uns hiermit zeigen  
 und lehren, daß, die Christen seyn wollen, wissen sollen, daß solches in  
 Ihnen geschehen müsse, oder sind noch nicht gläubige Christen, wie sie  
 sich rühmen oder dünken lassen, denn daß soll die Probe desselben seyn,  
 ob wir mit Christo auferstanden, daß ist, ob seine Auferstehung in uns  
 kräftig sey, oder allein Wort und nicht auch Werk und Leben sey &c.  
 Er paulo post f. 28. a. Wer noch nach seinen fleischlichen Wesen trachtet, u.  
 damit umgeheth, der ist noch nicht mit Christo der Welt abgestorben,  
 darum auch die Auferstehung Jesu Christi nichts an Ihm ist noch  
 würcket, sondern Christus ist Ihme todt, und nichts, und er wiederumb  
 Christo. 1r. f. 28. a. Wiltu nun dich dieser Predigt recht rühmen, daß  
 Christus durch sein Sterben und Auferstehung dir geholffen habe, so  
 mu

(b)

Rei triplex.

1.

ut veritatem fi-  
dei nostræ de-  
monstremus.



mustu nicht in deinen alten sündlichen Wesen bleiben, sondern eine neue Haut anziehen. Denn sein Sterben und Auferstehen ist darumb geschehen, daß du auch endlich mit Ihm der Welt absterbest, und seiner Auferstehung gleich werdest, das ist, ein neuer Mensch anfangest zu werden, wie er ist droben im Himmel. (β) *Ut fructuum resurrectionis*

3.  
ut fructuum  
Resurrectio-  
nis Christi  
participes  
fiamus.

*Christi participes evadamus. Non prodest CHRISTI resurrectio, nisi in nobis quoque resurgat Christus. Non est pars corporis CHRISTI mystici, in quo CHRISTUS non vivit & resurgit. Ac inquis: Putabam me fructuum Resurrectionis Christi participem serio- la fide? Objectionem hanc sibi format B. Gerhardus Homil. Sacr. P. II. Fer. Pasch. Hom. V. f. 202. (Conf. f. 26.) & respondet: Hoc verissime dicitur, unice omnino per fidem eorum omnium participes reddimur, uti constat ex Rom. IV. 24. 25. Sed (NB.) illa fides recte explicanda, qua sit ejus natura & efficacia. Non rectius autem explicari potest quam ex Libris nostris Symbolicis, ita enim pii majores in Apologia Aug. Conf. de Justif. f. 71. De tali fide loquimur, qua non est otiosa cogitatio, sed que a morte liberat, & NOVAM VITAM in cordibus parit, & est opus Spiritus S. NEC STAT CUM PECCATO MORTALI, SED TANTISPER DUM ADEST, BONOS FRUCTUS PARIT. Id quod longe plenius Auctores Formulæ concordiæ in Solid. Declar. Artic. IV. de Bonis Operib. f. 701. ex Luthero nostro deduxerunt: Fides (quemadmodum D. Lutherus in præfatione Epistolæ Pauli ad Romanos scribit) est divinum quoddam opus in nobis, quod nos immutat, ex Deo regenerat, veterem Adamum mortificat, & ex nobis plane alios homines (in corde, animo, & omnibus viribus nostris) facit, & Spiritum sanctum nobis confert. Et est fides illa quiddam vivum, efficax, potens: ita ut fieri non possit, quin semper bona operatur. Neque fides querit demum, an bona opera sint facienda, sed priusquam de ea re inquiratur, jam multa bona opera effecit, & semper in agendo est occupata. Qui vero non ad hunc modum bene operatur, is homo vera fide caret, & ubi sit fides, ubi bona opera, quasi cæcus palpando queritat, neque tamen, quid fides, aut bona opera sint, novit: interim tamen multa incepte de fide & bonis operibus garrat & nugatur. Addunt iidem f. 702. Hæc retinenda atque arguenda sunt, ad redarguendam atque refutandam securitatis Epicureæ opinionem, qua multi fidem mortuam, aut persuasionem quandam vanam, qua sine penitentiâ & bonis operibus est, pro vera fide falso habent quasi scilicet, in uno eodemque corde simul stare possint vera fides & malum propo-*

uum



rum in peccatis perseverandi & progrediendi: quod tamen profusum est impossibile: aut, quasi aliquis veram fidem, justitiam, & salutem habere ac retinere valet, etiamsi arbor putrida, & infrugifera sit maneatque, neque ullos bonos fructus ferat: imo, quamvis in peccatis contra conscientiam perseveret, aut rursus destinata malitia in scelera priora relabatur. Hec falsa & impia sunt. Tanta igitur est spiritualis hujus resurrectionis necessitas, ut absque ea Christi resurrectio nobis nihil proffit, siquidem fructuum resurrectionis Christi non possumus alia ratione quam *vera fide* participes fieri, sed vera fides in eo locum non habet, qui spiritualiter cum Christo nondum resurrexit. Qui sunt Christi crucifixerunt carnem cum affectibus & concupiscentiis suis Gal. V, 24. Christus ex mortuis resurgens *vivit* Deo Rom. VI, 11. Quisquis ergo spiritualiter cum Christo resurrexit, is dicere potest: *Vivit in me Christus* Gal. II, 20. in quo Christus nondum vivit, ille etiam nondum cum Christo resurrexit, & Christus ei nondum resurrexit. Sicuti resurrectionis corporalis evidens testimonium est vita corporalis, five naturalis, ita resurrectionis spiritualis indicium est vita spiritualis. Quisquis ergo adhuc vivit Mundo, Satanae, & Carni, atque *ab alienatus est a Vita Dei* Eph. IV, 18. is spiritualis resurrectionis nondum est particeps. Qui nondum spiritualiter resurrexit, is adhuc mortuus est in suis peccatis: qui vero in peccatis suis adhuc mortuus est, quomodo fructuum resurrectionis Dominice particeps dici potest? *Christus ideo pro omnibus mortuus est (& resurrexit) ut qui vivunt, non amplius sibi vivant, sed illi, qui pro ipsis mortuus est & resurrexit* 2. Cor. V, 15. Quotquot ergo nondum vivunt Christo, in illis resurrectio Christi nondum assecuta est suum finem, & fructum, quia spiritualis illius resurrectionis, Christi resurrectio, non tantum est *exemplum* & exemplar, sed etiam causa & principium. Graviter Origene Lib. IV. in Ep. ad Rom. c. IV. 25. Tom. II. Opp. edit. Froben. anno 1557. f. 607. ex translatione Latina Rufini, non, ut vulgo creditur, Hieronymi: *Si surreximus cum Christo, qui est justitia, & in novitate vite ambulamus, & secundum justitiam vivimus, surrexit nobis Christus ad justificationem nostram.* Si vero nondum deposuimus veterem hominem cum actibus suis, sed in iniustitia vivimus, audeo dicere, quod nondum surrexit nobis Christus ad justificationem nostram, nec traditus est propter peccata nostra. Si enim hoc credo, quomodo illud amo, pro quo ille pertulit mortem? Si hoc credo, quod ille ad justificationem meam surrexit, quomodo iniustitia placet? *Justificat ergo eos Christus tanquam modo, qui novam vitam exemplo resurrectionis ipsius susceperunt, & vetusta iniustitia*



3. ut spem Resur-  
rectionis no-  
stræ firmemus.

*justitia atque iniquitatis indumenta, velut causam mortis, abjiciunt. (γ) ut spem resurrectionis nostræ gloriose firmemus ac certificemus. Hæc est spes illa viva, ad quam per resurrectionem Christi nos regeneratos esse scribit Petrus I. Ep. I. 3. Infantem ex conceptione jam vitam oportet habere naturalem, si ex nativitate vivus in dias luminis auras prodire debet: neque enim hic demum vita ipsi datur, sed prior saltem conspicua redditur; ita etiam in renascentia ad vitam illam gloriosam alterius & melioris seculi Matth. XIX. 28. nemini vita spiritualis demum datur, sed quæ hæctenus abscondita fuit cum Christo in Deo, manifestatur. Postquam enim Christus, vita illa nostra, manifestus factus fuerit, tum & nos cum eo patesimus gloriosæ Col. III. 3. 4. Quod si ergo de resurrectione nostra ad vitam æternam certi esse cupimus, ut in hac vita spiritualiter cum Christo resurgamus, necesse est.*

Possibilitas.

§. XXXIIX. POSSIBILITAS Resurrectionis spiritualis ex ejus necessitate & hominis Christiani statu haut difficulter deducitur. Quicquid enim a Spiritu S. Homini Christiano hoc sine est injunctum, ut (α) veritatem fidei suæ de resurrectione Christi demonstraret: fructuum resurrectionis ejus particeps fiat: spem denique resurrectionis suæ gloriose firmet ac certificet: id ipsi profecto, ut luce Evangelii collustratus, viribusque novis ad vitam spiritualem sufficienter instructus est, non erit impossibile. Atqui resurrectio spiritualis Homini Christiano hoc sine a Spiritu S. injuncta est, ut veritatem fidei suæ de resurrectione Christi demonstraret, fructuum resurrectionis ejus particeps evadat, spem resurrectionis suæ ad gloriam & vitam æternam certificet (id quod late in præcedente §. XXXVII. sub Lit. α. β. γ. δ. deduximus) Ergo Resurrectio spiritualis homini Christiano qua tali non erit impossibilis. Major, quod statum hominis Christiani attinet, ulterius confirmatur ex resuscitatione transitiva, Eph. II. 4. 5. 6. & Col. II. 12. 13. tradita. Quos Deus in peccatis mortuos pro infinita sua misericordia una vivificavit cum Christo, ac resuscitavit per fidem efficacis illius virtutis Dei, qua suscitavit Jesum ex mortuis, illi omnino viribus novis ad resurrectionem & vitam spiritualem sufficienter sunt instructi. Sed Christianos Deus in peccatis mortuos una cum Christo vivificavit & resuscitavit per fidem &c. Ergo Christiani qua tales ad vitam spiritualem omnino resurgere possunt, imo adu resurgunt. Hinc est, quod Apostolus Christianis Colloquensibus c. III. 1. scribat: *Si resurrexistis cum Christo, superna guarite.* Frustra hic ab illis exigeret

ex  
Necessitate deducit.



*Ζητησι τῶν ἀνθ.*, nisi jam actū eos a morte peccati resurrexisse præsupponeret. Ad Christianos autem Romanos c. VI, v. 11. scribit: *Ita & vos existimate* (vel potius certo colligite *λογίζεσθε*) *vos mortuos quidem esse peccato* (h. e. non obligari solum ad moriendum peccatis, sed & vires accepisse ex morte Christi, ut quemadmodum mors ejus vobis prodest in iudicio divino ad imputationem 2. Cor. V, 14. ita & possitis magis magisque mori peccato & successively mortificare membra vestra terrestria, *scortationem, impuritatem, molliem, cupiditatem malam, & avaritiam, Col. III, 5.)* *viventes autem Deo in Christo Jesu Domino nostro*, q. d. neque tamen otiosi estis, vere jam vivitis, & opera vitæ facitis, non quidem naturalis saltem & mere humanæ sed vere divinæ ac spiritualis, ita ut cum antea in vita naturali viveretis, ad vestrum honorem, commodum, lubitum, ac voluntatem (in hoc enim versatur vita veteris hominis) jam non amplius isto modo, sed Deo vivatis, idque in Christo Jesu Domino nostro, qui nobis id non solum suo exemplo monstravit, sed & vires, per mortem ac resurrectionem suam ad id concessit. *Dei enim opus sumus, conditi in Christo Jesu ad bona opera, quæ Deus preparavit, ut in iis ambulemus Eph. II, 10.* Patet hinc, tam possibilem quam necessariam esse vitam spiritua-lem, in qua homo peccatis moriatur, e contrario vere ac sincero corde Deo vivat. Eo enim tendit mors ac resurrectio Christi, neque illius, absque morte ac vita spirituali, participes fieri, neque hujus possibilitatem negare possumus, nisi simul mortem ac resurrectionem Christi viribus suis privare velimus. Si enim pro impossibili habeamus resurrectionem nostram spiritualem, ignominiam inferimus virtuti Christi, quæ in Baptismo (Rom. VI, 3. 4. Col. II, 12.) ac per verbum Evangelii (2. Tim. I, 9. 10. 1. Pet. I, 23.) nobis ideo data est, ut dono accipiamus in regeneratione ex aqua & Spiritu Joh. III, 5. quæ non habemus ex generatione carnali, & hoc si fieri nequeat, non ipsi solum infirmi erimus, sed & Christus in verbo ac Sacramentis suis debilis & invalidus esse videbitur, quod absit ut cogitemus.

§. XXXIX. IMPERFECTIONEM istius Resurrectionis, & quod hinc Imperfectio nascitur in homine Christiano rem probe expendente *Continuandi & prosequendi illam studium*, innuit Apostolus, quando Phil. III, 8. 14. *scribit: Omnia certe duco pro stercoreibus, ut Christum lucrifaciam & c. & cognoscam eum, & vim resurrectionis ejus, & communionem perfectionum ejus, dum conformis sio morti ejus: experiens, eoque modo deveniam ad resurrectionem mortuorum: non quod jam metam apprehenderim, aut jam sim*

H

con-

ex  
 Phil. III, 8. 14.  
 demonstrant.



consummatus (τετελειωμεν), sed persequer, experiens, an quoque apprehendam: Fratres ergo me ipsum non reor metam apprehendisse. Unum autem ago: ea quidem quae a tergo sunt obliviscens, ad ea vero, quae a fronte sunt, contendens, scopum versus feror ad premium supernae vocationis Dei in Christo Jesu. Videmus hic Virum sanctissimum se in exemplum omnibus aliis sanctis proponere, tum Confessione defectur, tum professione studii, ut intelligatur, qui Spiritu Deo serviunt, confiteri se imperfectos & peccatores, neque confidere operibus suis, sed semper contendere ad scopum vel metam, atque eam confessionem infirmitatis nihil derogare gloriationi in Christo, sive fidei justificationis, quia inveniri in Christo conjunctum est, & cum experimento potentiae resurrectionis ejus (dum per Spiritum Christi vivificamur ex morte peccati, propter Christum) & communionis passionum ejus, dum conformamur morti Christi, abnegando consilia, vias, justitiam, & concupiscentias nostras, & relinquendo omnia carnalia propter ipsum, idque non alio fine, quam, ut si possibile sit, perveniamus ad ἐξανάστασιν τῶν νεκρῶν, vel ἐκ νεκρῶν h. e. plenam & perfectam resurrectionem ex morte praeputii carnalis Col. II, 13, quae in resurrectione mortuorum ad aeternam gloriam demum futura est. Nam dum credimus in Christum, incipimus resurgere vivificati, ac vim resurrectionis Christi percipimus: sed ut contendamus ulterius, & ad perfectam sanctitatem, & extinctionem carnis plenariam perveniamus. Plagum autem est, Paulum hic non loqui de resurrectione corporis, sed de consummatione vivificationis Spiritus, de qua ceperat fermocinari. Siquidem Vis resurrectionis Christi in vivificatione ex morte peccati primo cognoscitur. Deinde si de resurrectione corporis loqueretur, non posset subjungere οὐχ ἔτι ἤδη ἐλάβον, sive quia indubitatum erat, Paulum ad eam nondum pervenisse, sive quia ad eam pervenire non est studii. Neque etiam de spe resurrectionis ad vitam ipsum hic agere certum est: nam eam negare non potuit, quam toties asseruit, & hic quoque adstruit. Qui enim in Christo est, & invenitur, & habet justitiam ad fidem, & cognoscit Christum, & vim resurrectionis, & communionem passionum ejus, & novit se καταληφθῆναι ad scopum & brabeum, quomodo potest is negare spem vitae aeternae? De coetero confessionem defectus edit, cum v. 12. οὐχ ἔτι ἤδη ἐλάβον ἢ ἤδη τετελειώμεθα, ergo hoc non dico, quasi velim significare, quod eam renovationis & resurrectionis perfectionem acceperim: sive perfectionem intelligas eandem, quae dabitur in caelo, sive secundum modum hujus seculi. Posset enim quis,



quis, audiens Apostoli scopum fuisse, progredi ad *perfectiorem*, interrogare: an possit in hac vita quis pervenire ad coelestem perfectionem? aut, an necessarium sit ad eam pervenire, & alias actam sit de spe nostra? aut quanta sit perfectio in hoc seculo; & an eam obtinuerit? Apostolus confitetur se *nondum accepisse*, aut *jam consummatum* sive *perfectum esse* v. 13. *Fratres ego me non puto apprehendisse*, nempe id, ad quod apprehensus sum, sive simpliciter ut obtinendum in caelo sive limitate quoad obtineri potest in terra, q. d. si alius putat, se apprehendisse, & absque defectu, peccato, vitio, vel perfectum esse, ego me non judico apprehendisse.

§. XL. CONTINUATIONEM autem sive *Studium perveniendo* Continuat. ad resurrectionem *perfectissimam* profitetur Apostolus non modo v.

11. *εἰπας λατατησω εἰς τὴν ἐξανάστασιν τῶν νεκρῶν*, ubi notanda particula *εἰπας*, quæ intentionem operis & studium cum desiderio significat (Conf. Act. XXVII, h. 2. Rom. I, 10, XI, 14.) sed & v. 12. *διώκω δὲ εἰ καὶ καταλάβω*, sed *persequor si etiam apprehendam*, ubi τὸ εἰ καὶ perinde ut *εἰπας* idem est ac *cum desiderio & studio apprehendendi*; imo maxime v.

14. *ἐν δὲ hoc unum ago*, in eo totus sum. *Obliviscens quæ postea sunt*, h. e. il- Seu studium perve- niendi ad per- fectionem.   
lis non confidens, nec in eo quod adeptus sum mihi placens; non, quod non agam gratias Deo, sed, quod non subsistam in primis, aut me putem

satis longe processisse; nam qui nimis æstimat suos profectus, is non potest pergere ad ulteriora. *Ad ea quæ ante sunt* (quæ nondum assecutus sum) *me extendens*, ut currens ad metam prono corpore propendere solet. Quæ phrasis desiderium & contentionem virium, ad plus de morte peccati deponendum, & plus de vita spiritali acquirendum significat. *Scopum versus feror*, h. e. recta, ut sagittarius ad scopum collimat, vel cursor ad metam: non sequor devia, non ad dextram non ad sinistram deflecto: non aliud ago & in iis tempus tero; non aliud nisi metam quaero. Potest quis *διώκειν* & multa agere ac se movere, sed *κατὰ σκοπὸν*, non ea via, quæ ad metam recta contendit. Incitabat vero Apostolum ad hoc prosequendi ac contendendi studium *βραβεῖον τῆς ἀνω κλήσεως*, *Vita nostra in Deo cum Christo abscondita, olim manifestanda in gloria* Col. III, 3, 4. quæ brabeum dicitur, cum quia certanti datur, & sic valde ad id properanti: cum quia compensat omnem *jaeturam*, dolorem, & laborem. Omnes igitur Sancti & iusti cum Paulo confitentur, se nondum in hoc seculo id accepisse, ut sint *consummati* ac *perfecti* in illa vitæ novitate, ad quam resurrexerunt, dum vivificati cum Christo, potentiam resurrectionis



nis ejus sunt experti. Nunquam dicunt: *non habemus peccatum aut defectum: divites sumus, nihil nobis deest, vel ad veri cognitionem, vel ad boni operationem.* Hos. XII, 9. Apoc. III, 17. Neque tamen ita confitentur infirmitatem suam, ut etiam acquiescant, & sibi satisfaciant, ac libenter defectum & peccatum habeant, & non laborent peccata sua & defectum deponere ac superare, & legem captivantem excutere & hostis manum exire. Nam in communione passionum Christi & sensu ejus est perpetua mortificatio veteris hominis: qui cum non possit extinguere uno momento, sed quotidie velit in ipsis reviviscere, quotidie ipsum extinguere student, ut in se CHRISTUS quotidie incipiat vivere. Ad hæc dilectio Christi non patitur eos subsistere: neque ita didicerunt Christum, ut ejus meritum & vitam in iis, qui Christi sunt per fidem, non esse putent supra initia, nec ad progressum vires conferre posse sufficientes. Timent etiam, ne deficient, sive retrocedant: ideo instant, prosequuntur, & ad ulteriora contendunt, si etiam *apprehendant*: collinant ad maximum & perfectissimum resurrectionis spiritualis gradum (quamvis eum non obtineant) *superna curando, non terrena* Col. III, 2. & *membra sua, quæ sunt in terra, mortificando* v. 5. Rom. VI, 12. Id autem agunt etiam per preces. Nam contendunt ad consecutionem doni, quod per preces obtinetur: neque hæ preces frustra sunt: siquidem per eas accipiunt hanc gratiam, ut porro ad ulteriora contendant ac progrediantur, & non obtorpescant. In quibus & nos finimus cum B. Gerhardo *Medit. LI. de Spirit. piorum resurrect. f. 367.* suspirantes: *Excita nos, o bone JESU, a peccatorum morte, ut ambulemus in novitate vite mors tua veterem Adamum in nobis eringat: resurrectio tua interiorum nostrum hominem ad vitam renovet: Sanguis tuus lavet nos a peccatis: resurrectio tua justitie vestem nobis induat!*

SOLI DEO GLORIA.



00 A 6314

56.

17

Bl. 141









4.  
DISPUTATIO THEOLOGICA  
DE  
**RESURRECTIONE  
SPIRITUALI,**

QUAM  
PERMISSU FACULTATIS SUMME REVERENDÆ  
IN

*IN ACADEMIA LIPSIENSI*  
SUB PRÆSIDIO  
**DN. JOHANNIS OLEARII,**  
DOCTORIS ET PROFESSORIS THEOLOGI,  
PATRONI AC PRÆCEPTORIS SUI ÆTERNUM  
VENERANDI,

D. XXIX. NOVEMBR. ANNO MDCXCIX.  
IN

AUDITORIO PAULINO  
AD PUBLICAM VENTILATIONEM PROPONIT  
**M. JO. GODOFREDUS RIEDELIUS,**  
Glauchensis Mifnicus.

---

LIPSIÆ,  
RECUSA LITERIS SCHEDIANIS,  
ANNO MDCCXXV.